





COMPEN[DIUM]

GRAMMA[TICÆ]

LATINÆ.

Ex Grammat[...]

PHILIPPI MELANCH[...]

& JOHANNIS SPANGE[...]

Olim desumpt[...]



Nunc vero in usum Juv[...]

larum Patriæ, recens[...]

â

JONA Snorronio Episc[...]

SKALHOLTI, in I[...]

ANNO M. DC [...]

... incommodum Scholæ ... causa præcipua est, ... diversa præcepta artium, Inprimis Grammaticæ & Prosodiæ inculcantur. ... docentibus molestia, & con... discentibus etiam confusio, facile ... Addo etiam hoc, quod nonnulli ... qui in Scholam mittuntur, variè, ... vitiosè, scripta præcepta, secum ...t.

... ad medendum huic malo, operæ pretium duxi, ... Grammaticæ Compendium Typis evulgare, et in lucem sistere; Quo minuantur labores Juv... format... & conformitas quædam observetur in Scholis nostris, Præsertim in Schola nostra S... Cujus cura & inspectio mihi â Deo & ... Magistratu P. T. commissa & concredita est.

Non visum nobis fuit recedere â compendio ... Holis olim impressô, nam aliqvid hic ... mutare, vel emendare (si errores Typographicos ex... supra soccum meum esse putavi.

... curæ fuit nobis, ut hoc compendium Typis ... & absque vitiis Calcographicis ederetur. De Momorum aliorumve, qui ... critici esse student, reprehensionibus ... non adeo ... sapiant illi sibi.

Sufficiat

Sufficiant ergò nobis brevicula hæc præcepta, ad juvandam labilem puerorum memoriam aptissima & accommodatissima, neque admodum intricata vel intellectu difficilia, si accedat informatorum bona et fidelis explicatio.

Contenti fuerunt hucusque plerique nostratium his præceptis, & prodierunt multi, magni nominis viri, qui illa non solum didicerunt, sed etiam bono cum fructu coluerunt; adeo ut, vix, ac ne vix quidem existimem, surrecturos post hac multos, qui illis palmam in eruditione præripiant.

Non inficias imus, esse nonnulla in Compendio hoc, quæ observatione, quin fortassis castigatione, imo etiam supplemento aliquo indigere, videntur quapropter, non incommodum esse opinor, folium chartæ puræ hic passim inserere, pro inscribendis probatorum Auctorum vel doctorum Informatorum notis & animadversionibus.

Informatores & Pædagogos, etiam atque etiam admonitos volo, ut hæc prima rudimenta discipulis suis fideliter inculcent, ita, ut non solum ea benè discant, sed etiam intelligant. Quia

Legere et non intelligere, est negligere.

LIBELLUS.

Utere præceptis PUER, utere adultus iisdem:
Non datur ad metam pluribus ire viis.
Plurima de [illegible]auris, et comparor ære minuto,
Quæ fue[illegible]ant doctis ante prolata, fero.

 Com-



COMPENDIUM GRAMMATICÆ.

Quid est GRAMMATICA?

Est certa loqvendi et scribendi ratio.

Quot sunt partes Grammaticæ?

Qvatuor.

ORTHOGRAPHIa	*Quæ versatur circa*	Literas.
PROSODIA		Syllabas.
ETYMOLOGIA		Dictiones.
SYNTAXIS		Orationem,

id est, Compositionem vocum.

¶ Verum, qvanqvam vulgò qvatuor hæ constituantur Grammaticæ partes, revera tamen duæ tantum sunt; ETYMOLOGIA et SYNTAXIS.

Quid docet ORTHOGRAPHIA?

Docet Literas rectè pronunciare et scribere, & qvibus qvæq; dictio sit formanda literis, ut tolero *non tollero*, Precor, *non præcor*, Ecclesia *non eccletia*, Dominus *non Daminus*, Facio *non fasio*, Ratio *non radtio*, Verbum *non Varbum*, Amici *non amisi*, Capiant *non capeant*.

Quid docet ETYMOLOGIA?

Docet

Docet discrimina Casuum, seu tradit præter Significationem vocum, etiam earum accidentia.

Quid docet SYNTAXIS?

Docet componere voces.

Quid docet PROSODIA?

Docet accentus.

DE ORTHOGRAPHIA seu literis.

Quot sunt literæ Latinæ?

Viginti tres.

A b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.

Quotuplices sunt literæ?

Duplices. Aliæ sunt Vocales, aliæ Consonantes.

Da vocales.

a, e, i, o, u, et y Græcum.

Ex his fiunt Dyphthongi, ae, oe, au, eu.

Quot sunt Consonantes?

Decem & Septem.

b c d f g h k l m n p q r s t x z.

His adde j & v. cum præponuntur vocali in una Syllaba, ut Janus, Juno, Vejovis, vivus.

Quomodo dividuntur Consonantes?

In Mutas & Semivocales.

Mutæ ſunt novem, b, c, d, f, g, k, p, q, t,
Semivocales ſunt Septem, l, m, n, r, ſ, x, z.
Ex his ſunt qvatuor liqvidæ, l, m, n, r.
Duplæ ſunt, x, z, & j, *Qvando clauditur inter duas vocales.*

REGULÆ ALIQVOT DE ORTHOGRAPHIA

I. Cum conſonantes geminantur, prior ad præcedentem Syllabam, poſterior ad ſeqventem pertinet, *ut il-le, mam-ma, An-nus.*

II. Conſonans inter duas vocales poſita, ad poſteriorem vocalem pertinet, *ut, A-mo, a-go, petivi.*

III. Derivativa ſeqvuntur naturam & primitivorum ſuorum ſcripturam. *ut, gratia, per t, ſcribitur qvia eſt â gratus, Ratio per t, qvia eſt a ratus;*
Audacia, Judicium, pernicies, internecio, amicior, per c, qvia ſunt ab audaci, Judici, neci, amici
Scribendum eſt a-gmen, te-gmen, do-ctrina, qvia A, in ago, TE in tego, DO in doceo, Syllabam conſtituunt.

Sic te-ctum, cum ob eandem cauſam, tum ob eam rationem, qvæ in qvarta regula aſſignatur. Qvatio per t ſcribendum eſt, facio per c, qvia ſecunda perſona eſt, qvatis, facis.

IV. Conſonantes qvæ in principio coniungi poſſunt

possunt, in medio ne separentur, *ut no-ster, i-pcus, i-gnis, o-mnis, a-ctus, di-phthongus, Erasmus, Nam dicimus, sto, Ptolemaus, gnarus, Mnesitheus, Ctesipho, Phthongus, Smegma.*

In compositis una qvæqve pars sciungitur, *ut aru-spex, â spectando, ne-scio.*

V. Præpositiones separentur â dictione, cum qvâ componuntur, *ut, de-spicio, re-spondeo, dis-traho, abs-temius, â temeto & vino; Quocirca in fine versus non est scribendum des, & in principio proximi versus picio, sed de et spicio. Sic de cæteris. Eademq; ratio in pronunciatione quoque servanda.*

VI. Principia Sententiarum & versuum, item Nomina propria cum suis derivatis, Nomina officiorum, dignitatum, artium, literarum numeros notantium, Festorum, et aliarum rerum nobilium, scribuntur majusculis literis initialibus, *ut Mæcenas atavis edite Regibus &c.*

[De pueris admodum bene merentur Pædagogi, qvi eos diligenter assvefaciunt, ad literarum, tum Iustam scriptionem tum maximè bellam pronunciationem.]

DE ETYMOLOGIA.

Qvid expectandum est in ETYMOLOGIA?

Accidentia dictionum, *qvæ sunt orationis partes*

Qvot sunt partes Orationis?

(Id est in qvot classes seu Ordines distribuuntur omnes voces latinæ lingvæ?) octo

OCTO.

NOMEN PRONOMEN VERBUM PARTIcipium	Declinabiles	ADVERBIUM CONIUNCTio PRÆPOSITIO INTERIECTio	indeclinabiles

DE NOMINE.

Qvid est NOMEN?

Est pars orationis, qvæ rem Significat, non agere aut pati, ut, homo, arbor, virtus.

Penes qvid dignoscitur NOMEN?

Cui in nostra lingva potest addi, ein, ein/eitt. *ut, vir,* ein Madr. *homo,* ein Kuikiwskia. *animal,* eitt Dyr.

Qvotuplex est NOMEN?

Duplex. Adjectivum & Substantivum.

Qvid est nomen Adjectivum?

Est cui potest addi, Madur/ Kvinna / Ping. *ut humanus, probus, niger.*

Qvid est Nomen Substantivum?

Est cui non potest addi, Madur/Kvinna/Ping. *ut homo, Probitas.*

Qvotuplex est Nomen Substantivum?

Duplex, Proprium & Appellativum.

Proprium

Proprium est nomen unius, *ut Paulus Martha, Hafnia.*

Appellativ. m est Nomen multorum, *ut vir, mulier, urbs, regio, flumen.*

Qvot accidunt NOMJNJ?

[Id est qvænam præcipuè observanda sunt circa vocabula Nominis?]

Septem.

Comparatio, Genus, Numerus, Figura, Casus, Declinatio & Species.

DE COMPARATIONE.

Qvot sunt gradus Comparationis?

Tres. Positivus, Comparativus & superlativus.

POSITIVUS est prima vox Adiectivi, *ut Fortis* ſterkur.

COMPARATIVUS, qvi supra Positivi Significationem magis significat, *ut Fortior* ſterkare.

SUPERLATIVUS est, qvi supra Positivi Significationem maxime significat, *ut Fortissimus* Sterkastur.

Qvæ Nomina comparantur?

Adiectiva duntaxat, qvorum Significatio augeri vel minui potest, Vel potius, qvorum comparationem probavit usus, qvem penes arbitrium est, et vis et norma loqvendi,

 ut ca-

ut canus, sitibundus etc. non comparantur.

Quotuplex est comparatio?

Duplex, Regularis & Irregularis.

Regularis, *ut candidus candidior candidissimus.*

Irregularis, *ut malus pejor pessimus.*

Item defectiva, *ut ocyor ocyssimus, multus plurimus.*

[Formulas comparandi, pueros antea didicisse oportet]

Da Terminationes *Positivi.*

ER, ES, IS, US, ANS, ENS, AX, IX, OX *ut Pauper, dives, fortis, doctus, amans, prudens audax, fœlix, velox.*

Da Terminationes *Comparativi.*

OR et US,

OR generis Communis, *ut hic & hæc doctior.*

US generis Neutri, *ut hoc doctius.*

Canon.

Est Communis in OR, sed in US Neutralis habetur.

Habentia Vocalem ante US vel IS, carent comparativo. *ut*

Strenuus, egregius, dubius, pius, arduus, ista Per Magis et tenuis, formabunt comparativum

[Ante Senex, Iuvenis, adolescens quatuor ista, Sola quidem solis, utuntur Comparativis.]

Da Terminationes SUPERLATIVI?

REMUS

REMUS, RIMUS, LIMUS, SIMUS, TIMUS XIMUS.

Vt supremus, nigerrimus, humillimus, fortissimus, maximus.

Canon.

Dant tibi qvinqve LIMUS, qvæ signat dictio FAGUS.

Vt facilis, agilis, gracilis, humilis, similis.

DE GENERE.

Qvot sunt Genera Nominum?

Septem.

Masculinum	*Cuius nota est Articulus*	hic
Fœmininum		hæc
Neutrum		hoc
Commune		hic et hæc
Omne		hic hæc hoc

Epicœnum qvod uno Articulo duo genera complectitur, *ut hic Passer, hæc Aqvila.*
Dubium, cum authores variant, de genere vocis, *ut hic dies vel hæc dies.*

Qvibus cognoscuntur Nominum genera?

Duobus.

I. Significatione, *per Regulas Generales.*
II. Terminatione, *per Speciales.*

REGULÆ GENERALES Septem,
De Generibus Nominum.

I. De Masculino.

Cuncta virûm propria, FLU, MEN, VEN, Mascula pone.
Ut Cicero, Poeta, Consul, Quæstor, Aprilis, Aquilo, Zephyrus, Albis, Sala.

II. De Fœminino.

HÆC, poscunt Urbes, Regiones & Mulieres, HÆC dabis Arboribus. *Ut Neapolis, Dorothea, Matertera, Nutrix.*

Excipe: scortum, et Urbium Nomina in UR & UM Generis Neutris *Ut HOC. Comum, Tibur, Viburgum.* Et quæ in I. desinunt plualia Masculina, *ut HI Gabii, Philippi, Parisii.*

III. De Neutro Genere.

Sed Fructibus HOC sociabis.
Ut, Pomum, Cerasum, Piper, Papaver.
Excipe.
HÆC, dat avellana, nux, glans, castanea ficus.

Litera Neutralis est, & vox materialis.
Est Neutri generis verbum pro *Nomine sumptum*
Sic cras *hesternum*, Sic *clarum dicito Mane.*

Velle

Velle, *suum cuiq; est*, Scire *tuum nihil est.*

IIII. De Communi.

Communis dices sexum, qvod signat utrumqve,
ut hic et hæc homo, pincerna, testis, bos.

V. De omni genere.

In triplici Genere, numeros & mobile pone,
Vt hic unus, hæc una, hoc unum: hi duo, hæ duæ hæc duo: hi & hæ tres, & hæc tria.
Reliqva ad centum indeclinabilia.

A centum composita, Declinabilia sunt: *ut hi ducenti, hæ ducentæ, hæc ducenta. Sic trecenti, qvadringenti, qvingenti, sexcenti, septingenti, octingenti, nongenti, æ, a.*

MILLE Adiectivum, plurale tantum, indeclinabile, *ut mille homines, mille animalia.*

MILLE Substantivum, in singulari, etiam indeclinabile, & Neutrius generis: in plurali variatur, *ut hæc millia, millium, millibus.*

Item alia Adiectiva tribus terminationibus: Alia duabus: Alia una, tria genera continent *ut hic albus, hæc alba, hoc album: hic et hæc fortis et hoc forte: hic et hæc et hoc felix, prudens.*

VI. DE Epicœno seu Promiscuo.

Qvæ signant volucres, promiscua nomina dices *ut hic Pavo, hæc Cornix, Perdix, Aqvila Item de feris et piscibus ut gallus gallina, lupus lupa, etc. ad Regulas ante positas.*

VII. De Dubio.

Alvus, adeps, angvis, ſerpens, & dama, dies, calx
Margo, ſilex, cortex, ſcrobs, forceps, pampinus imbrex.
Python, obex, clunis, ſtirps, finis, ſcops, penus et linx.
Pumex, ſardonyx, funis, cum pulvere, bubo.
Talpa, *gen s poſcunt incertum*, cardo ſpecusqve.

DE REGULIS SPECIALIBUS GENERUM

De Prima Declinatione.

A

Nomen in A, primæ, petit HÆC, ſed deme poëta.
Adria, Planeta, Maribus datur, *atq; Cometa ut hæc aura, bucca, culina, moneta.*
Qvæ, cædo, colo, gigno, dabunt, Communia ponas.

AS. ES.

Qvæ finiunt AS, ES, in prima, Maſcula dices.
Vt Æneas, Anchiſes, hic Alcides.

E.

Sed qvibus E, rectus finit, muliebria ponas.
ut hæc Epitome, hæc Pentecoſte, Grammatice.

De Secunda Declinatione.

ER, IR, UR, EUS, US, ſunt Maſcula cuncta ſecundæ.

Ut, ager,

Vt, ager, (agri) adulter, gener, vir, satur, Orphe us, Clavus, nummus.

Excipe Fœminina.

Fœmina, Damascus, methodus, domus, alvus, abyssus.
Ægyptus, vannus, dyphthongus, humus, colus, anus.
Hysopus, & synodus, nardus, Paradisus, eremus
Costus, Crystallus, Cyprus, exodus, adde Smaragdus.
Carbasus, et byssus, Delus, coniunge papyrus.

Canon.

OS Græcum sæpe mutabis in US, muliebre.
ut hæc periodos, hæc Arctos, Delos (US)
HOC Vulgus, pelagus, qvandoqve, fit HIC, Paradisus.

UM.

UM neutrum facies: mulierum nomina signes.
ut hoc gymnasium, hoc folium, Cordum, sympesium.
Excipe HÆC Glycerium, Leontium.

De Tertia Declinatione.

A, E, I, C, T.

Tertia dat Neutris, qvæ signat dictio IACET.
ut verbalia Græca in MA, hoc Schema (atis) perizoma, HOC mare, cubile, gummi, sinapi; HOC

lac

lac, halec, & halecem fœminini in Accusativo, dixit Martialis. HOC *Caput, occiput.*

[Præceptor inculcat Genitivos Exemplorum]

O, DO, GO,

O, maribus iungas sic et disyllaba DO, GO: *ut hic Sermo (onis) carbo, scipio, titio,* HÆC *unio, (pro margarita) sic ordo, cardo:* HÆC, *arundo, gratitudo, caligo, imago (ginis.)*

IO.

HÆC dat verbale, per IO, caro, talio iungo; *ut hæc ambitio, statio,* HÆC *unio (pro concordia)*

Huc, quæ habent faciem verbalium, concio, occasio, seditio.

Item Græca in o longum, echo, Argo.

AL, EL, IL, OL, UL.

L, neutris iungas, HIC & HOC, sal flectitur usu
Mascula sol, consul, communia, præsul et exul.
HOC, animal, vectigal, HOC, fel, mel mellis.

AM, EM.

AM, dabis omne genus, neqvam, pro teste capesse,
Tantundem neutrum, totidem plurale fit omne.

AN, EN.

HIC, dat nomen in AN, Titan, Pan iungito Pæan.
EN, facit HOC: sed ren dabit HIC, pecten simul et splen.

Iunge lien et hymen: HÆC Syren atq; Troëzen.
HIC Cano, qvæ formàt, tubicen, tibicen & oscen:

IN; ON.

Masculus est delphin, cui qvod fit in ON sociato.
ut hic canon, Dæmon (onis) horizon (ontis)
HÆC syndon dicas, HOC barbiton: urbibus HÆC da.

AR.

AR, neutrum ponas, sed Lar, cum Cæsare fit mas.
ut hoc far, calcar, epar, laqvear, torcular.

ER, OR.

ER, velut OR, maribus socia, tamen excipe plura.
Vt hic agger(geris) carcer, HIC, imber, cucumer, HIC honor, timor.
Neutraqve sunt, verber, spinter, piper atq; cadaver
Ver, tuber, suber, cicer, uber, iterqve, papaver.
Imber, cum natis tenet HIC, sed fæmina linter.
HIC cucumer dices, sed et adiectiva notabis.
ut, hic acer; hæc acris, hoc acre.
Vel, hic & hæc acris et hoc acre.

IR.

HOC ir, pyr, gadir sine flexu, HIC martyr & HÆC est.

TOR.

TOR maribus iungas, HIC et HÆC dant Comparativa
Autor utrumqve, memor tenet Omne, HÆC arbor et arbos.
Æqvor, ador, marmor, et cor coniungito neutris.
A, color, & decus, & corpus, communia ponas.

UR.

UR neutris iungas, qvæ sunt communia signes.
ut ebur (eboris) sulphur, hoc jecur.
Mas furfur, turtur, vultur: cicur exigit omne.

AS.

HÆC dat nomen in AS, facit HIC, as, vas, (vadis) et mas.
HIC Adamas, Calchas, elephasqve gigasqve tiaras.
Neutrum vas vasis, coniungito fasq; nefasq;.
HÆC comitas, ætas, castitas, myrias (adis.)
Qvæ gẽtem et patriam signant communia dicas
ut hic & hæc Arpinas, Archas.

ES.

ES Crescens dabit HIC magnes, sed foemina compes.
Merces, atqve qvies, seges, atqve teges, dabit HOC æs.
HIC aries, paries, præs, pes, communia signes.
ut hic fomes (itis) merges, poples.
Non crescens dabit HÆC, ut apes, HIC dicito verres.

ut hæc fames, moles, proles. (is) soboles.

IS.

HÆC dat nomen in ut avis, ovis, Aspis amussis.
A polis HÆC rogitant, qvæ ducis ab asse. dabunt HIC.
Fœmina sunt febris, pestis cum cuspide messis.
Et classis, vestis, cassis, coniunge bipennis.
Sic vallis, turris, cum pelle, novalis & auris.

Excipe:

Sed qvibus N, præit IS, geminata aut consona duplex.
Et qvibus haud crescit Genitivus, pone marina
Ut crinis, panis, penis, sociabis et ignis.
Sic fascis, fustis, postis, sic piscis & amnis.
Sic torqvis, cassis, vermis, sic torris & ensis.
HIC, collis, follis, callis, ædilis & ungvis.
HIC cucumis, pulvis, sangvis, cinis, & lapis & glis.
HIC vectis, corbis, sic mensis & orbis & axis.
Dant HIC & HÆC invenis, civis, canis, adde sodalis.

OS.

HIC dat nomen in OS, HÆC glos, cos, dos: HIC & HÆC bos.
Sic custos, compos, impos, coniunge sacerdos.
Os (oris) neutro dabis, os (ossis) sociato.
Et sophos, atqve melos, Argos, chaos annumerabis.

Fœmina ſunt Leſbos, Tenedos: Eſt maſculus heros.
Vt hic flos (oris) nepos (otis) ros (oris.)

US.

US iungas neutro, qvod oris vel eris Genito dat.
Vt corpus (oris) fœdus (eris) ſcelus (eris)
U, qvibus obliqvis dant HÆC, monoſyllaba demas.
Ut, ius, thus, pus, rus, crus, plus, hæc iungito neutris.
HÆC incus (udis) ſalus (utis) tellus (uris) virtus (utis)
Maſculus eſto lepus, ſic mus, Venus HÆC retinebit.
Eſt commune ligus, ſus, grus; vetus omne reqvirit.
Vult pecus hæc (pecudis) pecus hoc (pecoris) generabit.
Laus, fraus, puls, pones et hyems inter mulieres

BS. LS. MS. NS. RS.

S. vult HÆC iungi, ſi conſona præſidet illi.
ut ars (artis) glans (glandis) hijems, (hijemis) trabs. (trabis)
HIC, mons, pons, dens, fons, torrens, oriensqve rudensqve.
HIC ſeps, atqve calybs, hydrops, cum partibus aſsis.

ut

ut triens (en:is) qvadrans, dodrans, dextans, sextans.

AX.

AX tenet HÆC, ut fax, fornax, pax, iungito lanx, arx.
Masculus Arctophylax & abax, coniungito limax.
Additur his thorax, dubium calx, mobile signes.

EX.

EX dabit HÆC ut lex, fex, merx, sunt mascula grex, Rex.
HIC disyllaba, apex, codex, cum caudice, cimex
Pollex atqve culex, rumex, cum murice, vervex.
Vertex atq; latex, frutex, cum sorice, dant HIC.
HÆC forfex, carex, forpex, cum pellice, ramex.
Additur his vibex, ilex, coniunge supellex.
Dant HIC et HÆC exlex, illex, cum vindice iudex.
Additur his index: qvæ sunt incerta notabis.
ut cortex, imbrex & obex, pumexq; silexq;.

IX.

HÆC dat nomen in IX, ut cervix, adde cicatrix
Appendix, filix, lodix, pistrixqve trilixqve.
Pix, nix, Styx, meretrix, matrix, strix, iungito mastyx,
Deme calix, Phœnix, bombyx, cum fornice sandix.
Et varix, spadix, histrix, qvæ mascula dices.

OX. UX.

OX, da fœmineis, ut nox, vox, mobile fignes
HÆC dices, lux, nux, crux, hæc faux; mafcula qvincunx.
Et feptunx, decunx. dux & coniunx, HIC & HÆC dant.

De Qvarta Declinatione.

Nomen in US, QVARTÆ dabit HIC. Dant HÆC manus, idus.
Porticus atqve tribus, anus, & domus addis acusqve.
HIC tenet HÆC ve fpecus, illi penus affociabis.
ut hic arcus, æftus, luxus, cenfus.
Hæc focrus, nurus, ad generalem regulam pertinent

U.

U dabitur neutris, cornu, fic fiecte genuqve.

De Qvinta Declinatione.

ES.

ES da fœmineis, qvæcunqve dabit tibi qvinta
ut hæc acies, fpes, pernicies, glacies.
HIC dabit, HÆC ve dies, dant hi tantum modo plures. HIC meridies tantum

DE NUMERO.

Qvot funt Numeri Nominum?

Duo

Singularis, qvi unum fignificat, *ut Deus, vi*
Pluralis, qvi plura, *ut Dii, viri.*

DE FI

DE FIGURA.

Quot sunt Figuræ Nominum?

Duæ.

Simplex *ut apt⁹ pi⁹* Composita *ut inept⁹, impi⁹*

DE CASU.

Quot sunt casus Nominum?

Sex.

Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus et Ablativus.

Ex his sunt:

Duo recti: Nominativus et Vocativus.
Qvatuor obliqvi: Genitivus, Dativus, Accusativus & Ablativus.

De Communem usum Casuum.

Nominativo utimur, cum significamus personam vel rem, qvæ nominatur, aut cum Substantivis vel absolutis verbis: aut aliqvid agit, vel patitur, ante verbum finitum.

Genitivo utimur cum significamus personam vel rem, cuius est qvippiam.

Dativo utimur, cum significamus personam vel rem, cui qvid attribuitur.

Accusativo utimur, cum significamus personam vel rem, in qvam actio agentis transit.

Vocativo utimur, cum significamus personam vel rem, qvæ vocatur ut appellatur.

Ablativo utimur cum significamus personam vel rem, unde, in qva, per qvam, aliqvid fiat.

[Usus casuum in Syntaxi exercebitur]

DE DECLINATIONE.

Qvot sunt Declinationes Nominum?

Qvinqve.

Prima ut Musa, qvæ habet in Genitivo Æ. & in Dativo Æ.

Secunda ut Magister, qvæ habet in Genitivo I, & in Dativo O.

Tertia ut Sacerdos, qvæ habet in Genitivo IS & in Dativo I.

Qvarta ut Fructus, qvæ habet in Genitivo US, et in Dativo UI.

Qvinta ut species, qvæ habet in Genitivo EI, & in Dativo EI.

[Oportet pueros Paradigmata ante didicisse, ex Donato vel aliunde, ut analogiam in declinando, et Conjugando, in numerato habeant]

PRIma DECLINATio, qvot terminationes habet?

Qvatuor: A, AS, ES, E.

In A, pauca in Dativo & Ablativo plurali per ABUS exeunt, *ut filiabus, eqvabus, mulabus, libertabus, dominabus, ambabus, duabus hinc v.* Tertiꝰ & sextꝰ habet IS: tamen ABꝰ habent hæc: Filia, nata, Dea, liberta, eqva, mula, duæ, ambæ.

[His animam, Dominam, famulam conjunxit abusus]

Paradigm

Paradigma in AS, ES, E.

N. Hic *Æneas, Anchises; hæc Epitome.*
G. *huius Æneæ, Anchisæ; huius Epitomes*
D. *huic Æneæ, Anchisæ, huic Epitome*
A. *hunc Æneam, Anchisen; hanc Epitomen (vel an).*
V. *O Ænea, Anchise; O Epitome*
A. *ab hoc Ænea, Anchise, ab hac Epitome*

In plurali ut Musæ (arum).

SECVNDA DECLINATIO, *Qvot terminationes habet?*

Sex.

ER, vel IR, URqve vel UM, simul EUS, US redde Secundæ.
I, Genitivus habet, sed IUS dant unus et ullus:
Nullus, uter, solus, totus, sic alter, alius.
EUS, dat EOS, vel EI, Genitivo more Pelasgi
Tertius & Sextus retinent O, cætera dant I.
Qvartus in UM fit, Græcus in ON: dic et Orphea vulgus.
Utroqve in numero, neutralia três similes dant.
Rectus in ER vel in UM, similem faciet tibi Qvintum.
EUS dat EU, sed IUS dabit I, sed cætera dant E.
Exceptis paucis; populus, fluvius, Deus, agnus.
Plurali Primo, Qvinto simul I sociato,
A dant plurali neutro, Græci atqve Latini.
Sed Genito iunges ORUM, nisi syncopa fiat,

Tertius et sextus retinent IS, qvart⁹ in ES fit.

Tertia Declinatio.

Da literas terminales Tertiæ Declinationis.

Tertia dat recto, qvæ signat vox CLEONA-
STRIX.
IS Genitivus habet, Itern⁹, qvart⁹ in EM fit.
IM dat maguderis, pelvis, sitis, atq; Charybdis,
Vis, buris, Tyberis, tussis, turrisqve, mephitis.
Sic tigris, Syrtis, fabaris, Leucaspis & Cpis.
EM dat et IM puppis, restis, febris, atq; securis
IN dat ab IS, Græcus per A multa, ut Phillida
profert.
Par re⁹o qvintus Græcis tamen S removebis.
Sext⁹ in I, vel in E, qvandoq; tamen dat utrumq;
Qvod dedit IM qvarto casu, solet I, dare sexto
Rect⁹ in AL, AR & E, præter sale farre dabunt I
Mobile qvod fit in ER, IS & E, mensesqve da
bunt I.
Cuncta trium formant E. vel I. sed cætera
dant E.
Plurali, primo, qvarto, qvinto, dabis ES, A.
UM vel IUM iunges Genitivo, vel dat utrumq;
Ternus IBUS retinet, cum sexto, demito bobus.

Græca in MA, dupliciter usurpantur, ut his Poëmatis & poëmatibus. Vers?

TIS vel IBVS in MA, formabunt Græca latinis.

Festa, aut etiam nomina, faciunt duplicem Genitivum in IUM, vel ORUM. ut Bacchanalia, Bacchanalium et

Baccha

Bacchanaliorum: Sicqvoqve sponsalia, (lium) (liorum) Vectigalia, vectigalium vel vectigaliorum)

Qvarta Declinatio.

Duas habet Terminationes, US et U: U indeclinabile in singulari, ut *hoc cornu*.

In plurali hæc cornua, horum cornuum, his cornibus. &c.

(De iis qvæ variant a communi paradigmate in Dativo & Ablativo plurali.)

Format Ubus, portus, ficus, tribus, arcus acusq.
Et qvestus, partus, quercus, lacus et specus artus.

IESUS habet in Accusativo IEsum, in reliqvis IESU.

Qvinta Declinatio.

Unam habet Terminationem ES. Hic seqvere paradigma Donati. (Nota de plurali)

Cuncta fere qvintæ desunt Genito atq; Dativo
Excipe res, species, facies, aciesqve, diesqve.

De Declinatione Compositorum.

Si componuntur duo recti, ambo variantur.
Non sic alteruter declines, nec Leopardus

Ut hæc Respublica, huius reipublicæ, huic reipublicæ, hanc rempublicam, O respublica, ab hac republica, &c. Ut alias adiectivum, & substantivum sic iusiurandum.

Obliquo rectum si iungas, flectito rectum.

Ut hic paterfamilias, huius patrisfamilias,

 huic

huic patrifamilias, hunc patremfamilias, &c.
Si componuntur, Genitivi non variantur.
ut huius modi, Cuius modi, istius modi.

De Heteroclytis & Anomalis.

Quid est Nomen Heteroclytum?

Est Nomen variè declinatum, contra Analogiam

Quotuplicia sunt Heteroclyta?

Triplicia.

1. Genere 2. Declinatione. 3. Genere et Declinatione simul.

I. Heteroclyta genere, sunt, qvæ diversis generibus declinantur.
ut hic Avernus, plurali hæc Averna: locus, hi loci & hæc loca Hæc supellex, plural: hæc supellectilia hoc cælum, plural. hi cæli, hoc frenum, plural, hi freni.

II. Heteroclyta Declinatione, *ut hoc vas (vasis) plur: hæc vasa (vasorum) jugerum (ri) plural: hæc jugera (rum) (ribus).*

Domus partim Secundæ, partim Qvartæ declinationis.

Tot̄e m̄, mi, primo numero, mi, misq; secundo.
Penus & specus, tribus generibus & declinationibus variarunt veteres. Item Orestes, *huius Orestis, vel Orestæ, Ædipus, Polypus, vel huius (pi) vel podis.)*

III. Genere & Declinatione simul, *ut hoc epulum,*

hæ

hæ epulæ, hoc balneum, hæ balneæ & hæc balnea, sic delicium.

Hæc mulctra & hoc mulctrum, hic baculus, hoc baculum, Chyrographus, Chyrographum, pistrina vel pistrinum, contagium vel contagio, scorpius vel scorpio etc.

De Defectivis.

Qvid est Nomen Defectivum?

Est qvod altero numerorum, vel casu aliqvo deficit, ut nomina virtutum, vitiorum & metallorum, in singulari tantum usurpantur.

Proceres, tenebræ, arma, pluralis numeri tantum

(Plurali Numero fere carent artium, ætatum, legumi num, et fructuum nomina, ut Grammatica, iuventus, mili um, oleum, lac, butyrum, acetum, mulsum, triticum, piper.)

Defectiva sunt qvibus Casus unus, vel plures desunt.

Aptota sunt duplicia. Qvædam enim per omnes casus uniformia sunt, ut primo Adiectiva singularia, *neqvam, nauci, frugi, mancipi.* Item pluralia, tot, qvot, totidem. Item Numeralia â qva tuor ad centum.

Qvædam in certis qvibusdam casibus tantum occurrunt.

Uno, *ut exspes, inferias, inficias, iussu, in iussu natu, noctu, permissu, promptu, sponte, fas, nihil instar, opus, necesse et præsto.*

. Duobus, *ut astus, ab astu, repetundarum & repetundis, suppetiæ, & suppetias.*

Tribus, *ut ambage, ambages, ambagibus: luis, luem & lue: opis, opem & ope: vis, vim & vi.*

Nominativo & Vocativo carent; *dapis, opis precis.* Genitivo, Dativo & Ablativo plurali carent, *æs, grates, ius, mare, mel, rus, thus, & pleraque Quintæ Declinationis.*

Defectiva Numero.

Masculina Singularia tantum.

Aër, sol, mundus, cum vespere pontus & æther.
Sangvis, ros, alvus, cum carcere, pulvis & almus.
Et sopor & cestus, limus, fimus & penus adde.

Fœminina Syngularia tantum.

Vita, salus, soboles, proles, mors, gloria, tellus.
Lux, fuga, fama, lues, humus, & cum pube iuventus
Paupertas, plebs, gaza, fames, contagio, labes,
Talio, cum tussi, cumque indole, culpa, senectus.
Et bilis, pestis, tabes, sitis, atque supellex.
Hinc bona pars quintæ, ceu spes, requiesq, fidesq.
Quæq aliquod vitium, aut virtutem nomina si-
(gnant.

Neutra Singularia tantum.

Ver, pelagus, senium, solium, nihilumq, pedumq.
Lethum, justitium, fel, cœnum, vulgus & ærum.
Et jubar et barathrum, cum vitro fascinum et album

Adde

Adde gelu atq; salum, penus atq; lutum atq; macellum,
Quæque carent casu, virus, pus, fasq; nefasque.

Masculina Pluralia tantum.

Liberi, & annales, natales, atque Penates.
Cancelli, cani, fasti, Superi, Inferi & artus.
Maiores, gemini, proceresque Laresque, minores.
Manes & lemures, cum Cœlitibusque jugales.
Inde pugillares, fasces, vepresque salesque.
Primores, antesque, fori, cassesque, loculi.
Et propria, ut Gabii, Locri, Veii, atque Philippi.
Adde antipodes, primates, optimates.

Fœminina pluralia tantum.

Antiæ & ambages, ædes, argutiæ & Alpes.
Blanditiæ, bigæque, apinæ, tricæ atque clitellæ.
Copiæ & excubiæ, grates, diræque genæque.
Et cum compedibus, ceremoniæ itemque salebræ.
Divitiæ, sordesque, inimicitiæ, insidiæque.
Crateisque grossique, facetiæ, opesque foresque.
Feriæ et exsequiæ, fauces, valvæque minæque.
Literæ & illecebræ, lactes, nugæ atque tenebræ.
Exuviæ, scopæque, manubiæ, quisquiliæque.
Nundinæ & induciæ, Nonæ, Idus atque Calendæ.
Nuptiæ & inferiæ, cunæ, thermæ, atque secundæ.
Vires, suppetiæq;, vigiliæ primitiæque.
Relliquiæ phaleræ, paleæ, præstigiæ habenæ.
Sortesque scalæque offuciæ & oppida, Thebæ.
Et Cumæ & similes, quarum pars maxima Graiæ.

Neutra

Neutra pluralia tantum.

Ilia, cum rostris, bellaria, pascua & arma.
Exta, parentalia, sponsalia, munia, Iusta.
Mænia, vinacea, cunabula crepundia, castra.
Et juga, cum lustris, hyberna, repotia, tesqva.
Hinc præcordia, cum genitalibus, atqve stativis.
Et mapalia, cum palearibus, atqve Cytheris.
Et propriis aliis, velut, Orgia, Gargara, Susa.

DE SPECIEBUS.

Qvot sunt Species Nominum?

Duæ.

Primitiva, qvæ â nullo descendit, *ut eqvus aper.*
Derivativa, qvæ aliunde originem trahit, *ut eqvuleus, aprugnus.*

Qvotuplicia sunt Nomina Derivativæ speciei?

Septuplicia.

PATRONYMICA, POSSESSIVA, DEMINUTIVA, DENOMINATIVA, VERBALIA, ADVERBIALIA & NUMERALIA.

I. Patronymica sunt, qvæ â parentum nominib⁹ vel aliunde deducta, gentem aut originem significant, *ut Priamides â Priamo, Chryseis â Chryse, Iliades, id est Romulus Iliæ filius, Athlantiades, id est Mercurius ab Athlante avô, Phaetontiades, id est, sorores Phaetontis. Ilias ab Ilio, Colchis id est Medea, â Cholchide regione.*

Da Tert

De terminationes Patronymicorum.

DES, AS, IS, NE.

Canon.

Mascula DES primæ, sunt AS; IS; fœmina ternæ NE qvoq; fœmineum, sed flectitur ordine primo. *ut hic Pelides, huic Pelidæ, hæc Ilias, Pieris, huius Iliados, Pieridos vel Pieridis. Hæc Nerine huius Nerines.*

II POSSESSIVA et GENTILIA.

Possessiva sunt Adiectiva, qvæ possessionem aut proprietatem aliqvam significant, *ut Evandrius ensis, id est, Evandri, Herculeus morbus.* Sub his continentur Gentilia, qvæ patriam, et gentem significant, *ut Roman9 Athenienſis Alexandrin9*

III. DIMINUTIVA.

Diminutiva sunt, qvæ diminutionem Primitivi significant, *ut regulus à rex, canicula à canis, capella, à capra.*

IV DENOMINATIVA.

Denominativa dicuntur, qvæ ab altero aliqvo denominationem habent, *ut ferreus à ferro, Iustitia à justo.*

V VERBALIA.

Verbalia sunt non solum qvæ formantur à Supinis, *ut amator, amatrix, resurrectio, aspersio.* Sed etiam qvæ, qvomodocunqve descendunt à verbis, *ut libido a libet, qverimonia, legio, pabulum*

amabilis, *sativus*, *stamen*, *tegmen*, *testamentum*, *et multa alia.*

VI ADVERBIALIA.

Adverbialia sunt qvæ formantur ab Adverbiis, *ut binus a bis*, *diutinus a diu*, *hodiernus & hornus ab hodie*, *matutinus a mane.*

VII NUMERALIA.

Numeralia sunt qvæ numerum significant.
Suntqve Qvadruplicia.
Cardinalia, Ordinalia, Distributiva & Multiplicativa.

1. CARDINALIA sunt ex qvibus cæteri numeri oriuntur; Interrogatio est per Qvot, *ut unus*, *na*, *num duo*, *e*, *o*, *tres tria*, *qvatuor*, *qvinq*, *nonaginta*, *centum*, *&c.*

2. ORDINALIA qvibus ordinem indicamus, *ut*, *primus*, *secundus*, *tertius*, *qvartus*, *centesimus millesimus &c.* Huc interrogatio qvotus.

3. DISTRIBUTIVA, qvæ pluribus aliqvid dividunt, suntqve pluralis numeri tantum, qvorum interrogatio est, qvoteni. *ut singuli*, *bini*, *terni*; *qvaterni*, *qvini*, *seni*, *centeni milleni*, *&c.*

4. MULTIPLICATIVA, qvæ multiplicationem rerum denotant, *ut simplus duplus*, *a*, *um*, *triplus*, *qvadruplus*, *qvintuplus*, *sextuplus*, *centuplus*, *millecuplus*, *&c.*

Huc referunt in PLEX, & ARIUS desinentia *ut unarius*, *binarius*, *ternarius*, *qvinarius.*

Plura

[Plura qvæ passim inculcanda sunt, excipiant pueri ad ulteriores, charta vel libello in qvo sibi formulas colligant]

DE PRONOMINE.

Qvid est Pronomen?

Est vox, qva utimur, in demonstranda aut repetenda re, ubi nominis repetitio ingrata erat futura.

Qvot sunt Pronomina?

Decem & septem.

Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is, qvis, qvi meus, tuus, suus, noster, vester, nostras & vestras. (his addi possunt cuius & cuias)

Qvot accidunt Pronomini?

Octo.

Species, Significatio, Genus, Numerus, Figura, Persona, Casus, Declinatio.

Qvotuplex est Species?

Duplex.

Primitiva: ut Ego, tu, sui, ille, ipse, iste, hic, is, qvis, qvi.

Derivativa: ut Meus, tuus, suus, noster, vester nostras & vestras.

Qvotuplex est Significatio Pronominis?

Sextuplex.

Alia est Demonstrativa ut, ego, tu, sui, iste, hic, ille.

Relativa ut is, ipſe, qvi.
Interrogativa, ut, qvis, cuius, cuia, cuium, cuias.
Poſſeſsiva, ut meus, tuus, ſuus, noſter, veſter
Gentilia, ut noſtras, & veſtras.
Reciproca ut ſui & ſuus.

Qvare dicuntur Reciproca?

Qvia in ſe flectuntur. Aliud enim eſt. *Pater jubet ut ad ſe venias, & pater jubet ut ad ipſum venias, Hic alium, illic eundem intelligas.*

Qvot ſunt Genera Pronominum?

Perinde ut in Adiectivis nominum, alia enim ſub una terminatione ad omne genus referuntur, ut ego, tu, ſui: Alia tribus, *ut hic ipſe, hæc ipſa, hoc ipſum, ille, illa, illud, is, ea, id, meus, mea meum.*

Alia ad Commune, *ut hic et hæc noſtras, veſtras, cuias.*

DE NUMERO.

Qvotuplex eſt Numerus?

Duplex.

Singularis ut ego, ille: Pluralis, ut vos, illi.

Qvot ſunt Figuræ Pronominum?

Duæ.

Simplex ut ego, iſte, cvis, qvi.
Compoſita, ut *egomet, ecqvis, qvisnam, qvinam qvicunqve.*

Quot sunt Personæ Pronominum?

Tres.

Prima ut ego, nos.

Secunda ut tu, vos.

Tertia ut ille, illi.

DE CASU.

Quot sunt Casus Pronominum?

Sex, ut in Nomine

Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus & Ablativus.

Quomodo declinantur Pronomina?

Partim, suo atqve certo modo, *ut ego, tu, sui.* Partim Nominum Declinationibus, Primæ, Secundæ, Tertiæ, fere conveniunt.

Suî deficit Nominativo & Vocativo utrobiqve.

Item, omnia Pronomina deficiunt vocativo præter, tu, meus, noster & nostras,

[Declinationum formulas, repetant pueri aliunde]

DE VERBO.

Quid est Verbum?

Est pars Orationis significans aliqvid, aut agere, aut pati. ut verbero eg slæ verberor eg er slegen.

Quo pacto dignoscitur verbum?

Cui in nostra lingva potest addi, ieg/ⱨu/ⱨafl.
[Hic Pœdagogus variis vocibus certiores faciat discentes de agnitione et discrimine verbi et Nominis]

Qvotuplex est Verbum?

Duplex.

Personale & Impersonale.

Personale est qvod iuxta personas variatur. *ut lego, legis, legit, &c. & legor legeris vel legere, legitur.*

Impersonale est, qvod unam tantum vocem tertiæ personæ (*Singularis numeri*) habet, *ut oportet, dicitur.*

Qvotuplicia sunt Impersonalia?

Duplicia.

Qvædam in T. desinunt (*& sunt Activæ vocis*) *ut decet, oportet.*

Qvædam in TUR (*& sunt Passivæ vocis*) *ut legitur, itur, luditur.*

Verbo qvot accidunt.

Octo.

Genus, Species, Tempus, Modus, Numerus, Figura, Persona, Coniugatio.

Genera Verborum, quot sunt.

Qvinqve.

Activum, Passivum, Neutrum, Deponens & Commune.

Qvibus

Qvibus dignoscitur Genus?

Terminatione, Significatione & Constructione

Qvid est Genus Activum?

Est qvod desinit in O, & actionem significat: Potest plerumqve regere post se Accusativum personæ *ut colo Deum, amo parentes, verbero Davum*

Qvid est Passivum.

Est qvod desinit in OR,& passionem significat *ut verberor, amor (Islandice exit in st.eg elskast)*

Qvid est Neutrum?

Est qvod desinit in O, & casum Activorum aut Passivorum non reqvirit, *ut sto, curro, figeo, Non enim dici potest sedeo Petrum, sed absolute aliqvid significat sine Accusativo, unde etiam absolutum verbum appellatur.*

Qvæ sunt Neutro-passiva?

Qvæ sub voce, vel terminatione activa prorsus significationem & casum passivorum habent *ut fio, veneo, vapulo, id est vendor & verberor ab aliqvo, item liceo.*

Reliqva qvæ Neutro-passiva vocant ob præterita formæ passivæ, vere Neutra sunt & Anomala, ut audeo ausus sum, gaudeo gavisus sum, soleo solitus sum, fido fisus sum, mæreo mæstus sum.

Qvid est Deponens?

Est qvod desinit in OR, & alteram significationem deponit, hoc est, vel active significat solum *ut precor Deum*, vel passive, *ut nascor*, vel neutraliter *ut vaticinor.*

(In

(In verbis hujus generis sæpe erratur, vel terminatione, vel significatione. Pleraqve Deponentia significant active, & coniugantur passive.)

Qvid est genus Commune?

Est qvod desinit in OR, actionem vel passionem significans, *ut criminor te, criminor â te, hujus generis pauca sunt: ut*

Osculor, amplector, interpretor, hospitor, hortor
Criminor & stipulor, fruistror, consolor, adulor
Depeculor, dignor, meditor, *communia sunt hæc*

Qvotuplex est SPECIES?

Duplex.

1. Primitiva, qvæ perfecta forma dicitur, unde reliqvæ cadunt, *ut lego, dico.*

2. Derivativa, qvæ ex aliis nascitur, *ut lectito dictito.*

Qvot sunt formæ Derivativæ speciei?

Qvatuor.

Inchoativa, Freqventativa, Meditativa et Diminutiva.

Qvæ sunt Verba Inchoativæ formæ?

Qvæ terminantur in SCO & SCOR & rem inchoari ac intendi significant, *ut lucesco, ardesco, resipisco, adipiscor reminiscor.*

Versus.

Omnia sunt ternæ, qvæ dicimus Inchoativa.

Qvæ est forma freqventativa?

Est

Est, qvæ terminatur in TO, SO, XO, & assiduitatem vel conatum significat. *ut factito, pulso, nexo.* *Versus*

Qvæqve freqventer agis, flectit variatio prima.
Paucula sunt Terriæ, i.e. flect e capesso, facesso.

Qvæ est forma Meditativa?

Qvæ in RIO definit & studium seu voluntatem significat. *ut esurio, lecturio, micturio, parturio, scaturio.*

Carent Præteritis præter esurio & parturio. Vs.
Omnia dic Qvartæ, qvæ sunt Desiderativa.

Qvæ est forma Diminutiva?

Est verborum qvæ in LO definunt, & diminutionem Primitivi significant, *ut cantillo, sorbillo, id est modicè cano vel sorbeo.* *Versus:*
Omnia dic Primæ, qvæ sunt Diminuta vocata.

[Imitativa forma dicitur qvæ in ZO vel SSO exit, ut patrizo. Græcisso, pro qvo latini Græcor dicere maluerunt]

Qvot sunt TEMPORA Verborum?

Qvinqve.

1. Præsens, *ut venio* Eg kiem.
2. Præteritum Imperfectum *ut veniebam*, Eg teok til ad koma.
3. Præteritum Perfectum, *ut veni* Eg kom *legi*, Eg las.
4. Præteritum plusqvam perfectum, *ut veneram*, Eg hefe komed / *legeram* Eg hefe lesed

5. Futurum, *ut veniam*, Eg skal koma.

Qvot sunt MODI Verborum?

Qvinqve.

1. Indicativus, qvi simpliciter aliqvid fieri aut non fieri definit. Per hunc interrogamus & fatemur, *ut lego, dico.*

2. Imperativus, qvo utitur imperando & petendo, *ut nosce te ipsum, Deus exaudi.*

3. Optativus, qvo optamus, *ut, utinam pueri obtemperent præceptoribus.*

4. Subiunctivus sive Coniunctivus, qvi subiicitur alteri verbo, *ut, Tum demum florebunt urbes, si pueri honestis disciplinis, ad virtutem assvefiant.*

5. Infinitivus, qvi neqve numeros, neqve personas definit, *ut legere.*

Qvot sunt NVMERI Verborum?

Duo.

Singularis *ut* lego, Pluralis ut legimus.

FIGVRÆ etiam ut in Nomine.

Simplex *ut spiro lego*, Composita *ut exspiro intelligo*; Decomposita *ut prodeambulo recondo.*
[His considerentur Commutationes literarum]

Qvot sunt PERSONÆ Verborum?

Tres ut in Pronomine.

Prima *ut lego, legimus.* Secunda, *ut legis legitis.* Tertia, *ut legit, legunt.*

Qvot

Quot sunt CONIUGATIONES Verborum?

Quatuor.

Quæ est Prima?

Quæ habet A longum in infinitivo, *ut amare*

Quæ est Secunda?

Quæ habet E longum in infinitivo, *ut docere*

Quæ est Tertia?

Quæ habet E breve ante RE in Infinitivo *ut legere*, vel ante RIS præsentis Indicativi, *ut loqveris*.

Quæ est Quarta?

Quæ habet I longum ante RE in Infinitivo, *ut audire*.

Unde et quomodo formantur TEMPORA?

A præsenti Indicativi, præter qvinqve, *de quibus Versus:*

Præteritum Primi de se dat tempora qvinqve.
RAM, SEM, RIM, RO, SE, sed format cætera Præsens.

DE PRÆTERITIS & SUPINIS PRIMÆ Coniugationis.

Ex AS in Prima, fac AVI, dic stetit a sto.
Doque dedi format, iuvo, iuvi, vult lavo lavi.
Dic cubui, crepui, domui, fricui, micuiqve.
Sic sonui, secui, tonui, plicui, atqve plicavi.
AVI dimico dat, sed UI increpo format & AVI
Et veto dat vetui, neco dat necui atq; necavi.

De Supinis.

AVI fert ATVM, lavi lotum, potoqve potum.
Doqve datum dat, stoq; statum format, juvo jutum.
Qvod dat VI, dat ITum, præter frictum qvoq; sectum
Datqve neco nectum, facit & qvandoq; necatum.

[Pueri charta excipiant exempla, ut est in Grammatica Philippi et sæpe iterando nominent Præsens, Præteritum et Supinum in qvaqve coniungatione].

De Supinis Deponentium I. Coniug.

Passiva & Deponentia mutuantur Præterita à Participiis qvæ fiunt a Supinis, in qvibus seqvenda est analogia.

ATUM Prima dabit per Deponentia semper.
Sic dic lætatum, luctatum, sic veneratum.

DE PRÆTERITIS II. CONIVGATIONIS.

Præteręunt in UI, divisas verba Secundæ.
ut habeo, habui, habitum. Placeo, placui, placitum.

Excipe. BEO.

Dat iubeo iussi, dat sorbeo PSIqve BUIqve.

CEO.

Luceo cum natis format XI, mulceo mulsi.

DEO.

Ardeo SI generat, sic svadeo, rideo, formant.
DI sedeo & video præbent, dat strideo stridi.
Mordeo Præteritum geminat, dicasq; momordi.
Pendeo coniungas sic spondeo tondeo formas.
Prandeo DI, pransus, sic audeo, gaudeo secte.

GEO

GEO

L, vel R, ante GEO, SI format, cætera dant XI.
Algeo fert alsi, sic fulgeo, mulgeo mulsi.
Urgeo vult ursi, sed turgeo dat tibi tursi.
Augeo vult auxi, sic frigeo, lugeo, luxi.

LEO.

A LEO dant LEVI, fleo flevi dic pleo plevi.

NEO QVEO.

Dat maneo mansi, neo nevi, torqveo torsi.

REO VEO.

Hæreo vult hæsi, VEO, VI, conniveo NIXI.

EO.

VI vieo, civi cieo, qvieoqve qvievi.

De Supinis II Coniugationis.

Qvæ dant præterita per UI, caruere Supinis.
ut caleo, horreo, studeo, torreo VI.
NI faciunt in ITum, teneo tentum doceo CTVM
Censeo dat censum, careo SSVM misceo mixtum.
Format ITVM placeo, doleo noceo taceoqve.
Sic liceo, mereo, pateo SSVM, torreo tostum.
DI SI, Sum præbent XI CTum dat sorbeo sorptum
EVI fert ETVM, dicas adolere per VLTVM.
Dat nevi netum, mansi SVM, torqveo tortum.
Hæreo vult hæsum, vietum vieo, cieo, TVM.
Dat VEO VI per TVm, sic cautum iungito votum
Et motum, fotum, nil langveo pingveo formant.

De Supinis & Præteritis Deponentium II. Coniugationis.

Hic breviabis ITUM, tueor tutum tibi format.
Dic fateor fassus, dic & ratus, atqve misertus.

Regula universalis de iis quæ primas literas præsentis, reduplicant in Præterito.

Si componantur geminantia, non geminantur
Ni nata â disco, posco, præcurro, repungo.

DE PRÆTERITIS & SUPINIS III. CONiugationis.

CIO.

A brevis ante CIO, cum compositis facit ECI.
Eiicio elicui, CIO cætera format in EXI.
Elicui dat ITum, CI vel XI, transeat in CTum

DIO GIO.

Dat DI, SUMq; DIO, GIO, GI, dat ITUMq; Supino.

PIO.

Dat PIO semper UI, sine cepi, sive, cupivi.
Dat rapui raptum, captum, cupioqve cupitum.

RIO, TIO.

Dat peperi partum, qvatio SSI cætera CUSSI.
Dat qvassi qvassum, sed CUSSUM compositiva

UO.

Semper UO dat UI, struo struxi, dat fluo fluxi.
Pluvi sive plui format pluo, nilqve supinat.
Arguo dat UTUM, struo structum, dat fluo fluxum.

BO.

BO PSI, TUMqve facit, dant BI scabo lambo biboqve.

A cubo composita, ut discumbo incumbo BUI
dant.
Dic scriptum nuptum, sed ITUM BO cætera
formant.

CO

Dic duxi, dixi, vici, parsi atqve peperci.
Dic pavi, crevi, novi, didici atqve poposci.
Format UI pesco, VI, svesco, qviesco, qvievi.
ICI conqvexi, nil glisco, sciscoqve scivi.
CI, vel XI, dant CTUM, VI, TUM dat, parcoqve parsum.

DO.

DO SI SUM format, si litera longa præibit.
Sic lusi, læsi, rasi, sed cætera DI dant.
Ut frendi, pandi, mandi, prætendi, addito scandi
Ostendi, accendi, sic fendi, iungito stridi.
ADO compositum, DI format, ITUMq; supino
Findo, fidi dat, scindo scidi, sed fundere fudi.
Dat tundo tutudi, cecidi cado, dat rudo rudi.
Cædo cecidi, tendo tetendi, iunge pependi.
Frendo DI generat, sido nil, pedo pepedi.
In DI Præterita, per SUM fecere Supina.
Ut mansum, scansum, prensum, sic flectito pensum
Dic passum, scissum, fissum, sic dicito fusum.
Dic tunsum & tusum, sic tentum dic qvoqve
tensum.
Abscondi dat ITUM, dat edo DI, format &
ESUM.
Divido SI, SUM dat, vult SUM commedo
atqve commestum.

Dat cedo SSI SUM, sic qvæ componis ab illo.

GO.

R, GO præcedens SI format, cætera dant XI.
Ut cinxi, finxi, tinxi, pinxi, adde fixi.
Sic anxi, iunxi, clanxi, unxi, iugito planxi.
Sic strinxi, texi, rexi, superaddito suxi.
GI dat ago, cogo, frango, lego sed tria dant XI
Vt diligo, dilexi CTVM, intelligo, negligo.
Dat tango tetigi, pungo pupugi, qvoq; punxi.
Sic pango pepigi, panxi, CI compositiva.
SI SVM producit, per CTVM, GI, XIqve supinant,
Dat figo fixi fixum, sic flectito frigo.

HO.

HO, XI, CTVMq; facit, veho vexi, dic qvo qve vectum.

LO.

LO dat UI, præter psalli, pepuli atqve fefelli
Dic velli & vulsi, percello, perculi & ulsi.
Dat tollo tetuli, sed sustulit approbat usus.
L simplex dat TUM, sed SVM geminata supino
TUM vel ITUm dat alo, sublatum dat tibi tollo

MO.

MO dat UI, dat ITUM, gemui fremui *tibi testes.*
Sed pressi pressum premo vult, emo MI dat & emptum.
Cætera PSI faciunt et PTUM, sic promere pr-ompsi.

Et demo

Et demó dempsi: sic sumpsi iungito compsi.

NO.

NO dat UI, dat ITVM, cecini cano; cætera dant UI.

Sic gigno genui genitum, dic a cano cantum.

A cano composita per UI formantur & ENTVM:

Sed sterno stravi stratum, PSI cætera dant PTVM.

PO.

PO, PSI, PTVMq; facit, dat UI strepo, rumpoqve rupi.

Dat strepui strepitum sed rumpo facit tibi ruptum.

QVO.

Dat linqvo liqvi, coqvo coxi, CTVM dat utrumqve.

RO.

In RO, VI faciunt, & TVM, gero SSI dat & uro.

Dic ustum, gestum, verri SUM, curro cucurri.

A sero dic serui sertum, seviqve satum dat.

Insero sic format, sic consero, cætera dant VI.

SO.

SO SIVI, SItum format: SI viso dat & SVM.

Pinso SUI format pistumqve capesso capessi.

TO.

In TO format UI, meto messum, flectoqve XI XVM.

Pexuit & pexi pexum, sic flectito necto.

Dat mitto misi missum; peto VI facit & TUM
Dat verto TI SUM, sed sisto stitiq; statum dat.
Nata STITI rogitant, sed nulla supina creabunt.

VO.

L, VO, præveniens de VO, VI, format & UTUM.
Dat vixi victum vivo, cum compositivis.

XO.

Format UI texo textum, nec plura videbis.

De Præteritis Deponentium Tertiæ Coniugationis.

Amplexus, functus, gressus, Commentus adeptus:
Defessus. fruitus fretus fructusqve profectus.
Mortuus & natus, lapsus, oblitus & usus.
Sic nactus, pactus, passus, iratus & ultus.
Sic experrectus, nixus, qvestusqve locutus.
Nil format vescor, nil liqvor, nil reminiscor.
Præterit activum, divertor comperiorqve.

DE PRÆTERITIS & SUPINIS, QVARTÆ Coniugationis.

Cuncta fere Qvartæ dant IVI, ITUMq; supino
Cambio dat campsi campsum, dat sentio, SI, SUM.
Vincio dat vinxi vinctum, dat fulcio SI, TUM
Sancio sancivi, vel sanxi TUM dat & ITUM
Farcio SI fartum, sed fersi flecte refertum.

Sarcio

Sarcio dat farsi farcivi TUMqve Supino.
LIO, NIO, PIO, RIO.
Dat salio salii salui saltumqve Supino.
Dat venio veni ventum. PSI sepio septum.
Hausi vult haustum, LIVI sepelire sepultum.
Sic amicire, facit amicivi, fert & amictum.
A pario dant nata RUI: sed comperit atqve
Repperit excipias, ERTUM sed cuncta supinant
EO.
Ex EO curtat ITUM, venivi veneo venum.
Ambitum ambitus produc, brevis ambitus extat.
Syncopam crebro admittunt Præterita ut audii, audîsti, petiit, amârunt.

De Deponentibus Qvartæ Coniugationis.

ITUM Qvarta dabit, per Deponentia semper. Metior est mensus, orior TUS, & ordior orsus.

De Gerundiis.

Qvot sunt terminationes Gerundiorum?

Tres.

DI, DO, DUM, *ut legendi legendo legendum.*

De supinis.

Qvot sunt voces Supinorum?

Duæ. UM & U. *ut lectum lectu.*

DE VERBIS ANOMALIS.

Qvid est verbum Anomalum?

Est qvod irregulariter sua tempora format.

De verba Anomala.

Sum, Volo, Fero, qvæ nota sunt ex Donato, & composita horum, *ut adsum, possum, nolo, malo, adfero, confero, &c.*

POSSUM

Possum potes potest, possumus potestis possunt.
Imperfecto. *poteram, ras, rat, &c.*
Præterito perfecto. *potui, potuisti, potuit, &c.*
Plusqvam perfecto, *potueram, ras, rat, &c.*
Futuro. *potero poteris poterit, &c.*
Optativo. *possem posses posset. &c.*
Infinitivo. *posse, potuisse.*

MALO.

Malo, mavis, mavult, Plural: *malumus, mavultis, malunt. Malebam, malui malueram.*
Futuro. *magis volam, les, let.*
Imperativo. *malis, &c*
Optativo. *Mallem, malim & mavelim.*
Infinit: *Malle: Sine Participio.*

NOLO.

Nolo, nonvis, nonvult. Plur: *nolumus, nonvultis, nolunt. Nolebam Nolui nolueram, non volam.*
Imperativo. *noli,* plur: *nolite.*
Futur. *nolito, &c.*
Optativo. *nollem, noluissem nolim.*
Infinitivo. *nolle, noluisse, nolens Participium.*

EDO.

Edo, es, est, plur: edimus, ditis, dunt: Vel edo, edis, &c. Juxta Analogiam.

Imperat: *es, edat, pl: edamus esse vel edite edant.* Futuro. *esto tu, esto ille. plur: edamus estote, edunto.* Optativo, *utinam essem, esses esset.* Infinitivo, *esse.*

AUDEO

Audeo, audes audet, &c. Præterit: Perf: *Ausus sum. Sic gaudeo gavisus. prandeo pransus, mæreo mæstus, fido fisus, fio factus sum, &c.*

Futuro *fiam, fies, &c.* Infinit, *fieri.*

EO.

EO, *is it: imus, itis, eunt:* Imperfect: *ibam.* Fut: *ibo. Sic queo cum compositis. nequeo, nequibam, neqvibo. Veneo, venibam, venibo.*

Da DEFCTIVA.

Aio. ais ait, plur: aiunt.

Præter Imp: *aiebam, bas, bat. pluraliter: aiebamus, aiebatis, aiebant.*

Imperat: *ai, antiqvè.*

Futurum optat: & præsens Coniunct: *aias aiat plur: aiatis aiant.* Particip: *aiens.*

AVE

Ave, plur: avete.

SALVE

Salve, salvete, salvere Item, Fut: salvebis.

FAUSIM.

Ausim, is, it, plural: ausint.

CEDO

Cedo (pro dic vel porrige.) plur: cedite.

DOR et FOR.

Dor & for, non dicitur, sed daris, datur, faris fatur, &c.

FAXO

Faxo(profaciam) Subiunct. Faxim, faxis faxit, plural. faxint

FOREM

Optativo & Coniunctivo, *forem fores foret. plur. forent.* Fut: Infinit: *fore.*

INQVAM

Indicat: *inqvio & inqvam, inqvis, inqvit. plur: inqviunt.* Præterit: Imperf: *inqviebam, bas, bat. plur: bamus, batis, bant.* Perfect: *inqvisti, inqvit.* Futuro *inqvies inqviet.* Imp: *inqve.* Fut: *inqvito.*

INFIT.

Infit: Indicativo (*pro ait vel cepit.*)

DEFIT

Defit: (idest deest) defiet, defiat, defieri.

MEMINI ODI CEPI NOVI.

Carent Præsenti & omnibus inde formatis (præter memento & mementote) habent Præteritum, & omnia inde formata, habent qvoqve significationem Præsentis.

QVÆSO.

Qvæso plural: qvæsumus.

Impersonalia in tertiis personis numeri singularis coniugantur, *ut pœnitet, pœnitebat, pœnituerat, pœnitebit.*

DE PAR

DE PARTICIPIO.

Qvid est Participium?

Est Nomen Verbale, significans tempus.

Vnde dignoscitur?

Ex Terminatione & Significatione

Qvot sunt Terminationes Participiorum?

Septem.

ANS, ENS, TUS, SUS, XUS, RUS, DUS, *ut amans, legens, doctus, læsus, amplexus, lecturus. legendus.*

Qvot accidunt Participio?

Septem.

Genus, Numerus, Casus, Declinatio, Figura, Tempus & Significatio.

[De his postremis tribus sentiendum est qvod de verbis, unde ea mutuatur Participium, de reliqvis qvatuor ut in Nomine]

Qvot sunt GENERA Participiorum?

Qvatuor ut in Nominibus adiectivis, Masculinum in US, *ut lectus.* Foemininum in A, *ut lecta.* Neutrum in UM, *ut lectum*, Omne in ANS & ENS, *ut amans legens.*

CASUS, DECLINATIO NUMERUS ut in Nomine.

Qvot Declinationes mutuatur a Nomine?

Tantum tres.

Primam, *ut lecta lectæ.*

Secundam

Secundam, *ut hic lectus & hoc lectum*,
Tertiam, *ut amans amantis, legens legentis.*

FIGVRÆ duæ sunt.

Simplex *ut Spirans*, Composita *ut respirans.*

Qvot sunt TEMPORA Participiorum?

Tria.

Præsens, *ut legens, amans.*
Præteritum, *ut lectus, visus, amplexus.*
Futurum duplex, *ut docturus docendus.*

Vnde & qvomodo formantur Tempora?

Præsens in ANS vel ENS, a prima persona Præteriti imperfecti, BAM & BAR, mutato in NS, *ut audiebam, audiens, loqvebar loqvens.*

Excipe iens euntis.

Præteritum formatur, ab ultimo Supino S; addito, *ut lectu lectus.*

Futurum in RUS etiam a supino ultimo addendo RUS, *ut lectu lecturus.* Sed in DUS fit â Nominativo Participii præsentis, ut audiens, S, in DUS, *ut audiendus*

Qvid est SIGNIFICATIO Participii?

Nihil aliud qvam genus in Verbo.

Qvot sunt significationes Participii?

Qvinqve.

Activa, qvæ venit â verbo activo *in* ANS vel ENS & RUS.
Passiva, qvæ venit â verbo passivo in TUS & DUS, *ut lectus legendus.*

Neutra,

Neutra, qvæ venit â verbo neutro. *ut stans, staturus.*

Deponens, qvæ venit â verbo deponenti, ut *Loqvens locutus locuturus.*

Communis, qvæ venit â verbo communi, ut *Criminans criminatꝰ criminaturꝰ vel criminandꝰ.*

Qvot Participia â singulis generibus verbi trahuntur?

Bina dat activum: præsens in RUSq; futurum.
Datq; eadem Neutrum, passivum cætera format.
Deponens tria dat, format commune qvaterna.

[Sæpe invenitur etiam qvartum Participium in DUS a Deponentibus ut utendus. Cicero, Nunc ab iis a qvibus tuendus fuerat derelictus. Idem, Hunc video mihi principem, et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse.]

Regula.

Participium degenerat in Nomen, cum amittit accidentia Verbi.

DE ADVERBIO.

Qvid est Adverbium?

Est qvod actionis et passionis circumstantiam una voce effert. *ut venit, propere.*

Qvot accidunt Adverbio?

Qvatuor.

Species, significatio, Comparatio, Figura

Quotuplex est SPECIES?

Duplex. Primitiva *ut heri, cras.* Derivativa *ut fortiter à fortis, furtim à furor, cœlitus à cœlum.* Sæpe etiam Nomina adjectiva in neutro genere fiunt Adverbia more Græcorum, *ut recens natus, torvum videt, pro torvè Item, qvartum consul factus est.*

Qvot sunt SIGNIFICATIONES *Adverbiorum?* Sunt variæ pro varietate circumstantiarum, aliæ enim significant.

IN LOCO; ubi, hic, illic, ibi, ubicunqve, ubiqve, alibi, intus, foris, supra infra, præsto.

AD LOCUM; qvo huc, illuc, eo, aliqvo, eodem, intro, foras, qvocunq; neqvo qvorsum, deorsum, sursum

DE LOCO; unde, hinc, illinc, istinc, inde, aliunde, funditus, inferne, superne.

PER LOCUM; *qva, hac, illac, istac, neqva, siqva, peregre communis loci est.*

TEMPORIS; qvando, hodie, heri, nunc, nuper, cras, sero. olim, qvamdiu, modo, pridem, dudum nudiustertius, perinde, statim.

NUMERI; semel, bis, ter, qvater qvinqvies, decies, vicies, millies sæpe, iterum.

NEGANDI; haud, non, neqve, minime, nuntiqvam & nihil (pro non)

AFFIRMANDI; etiam, sane, profecto, qvippe certe, qvidem, næ, utiqve.

DEMONSTRANDI; en, ecce.

ORDINANDI; ante, prius, deinde, primo, postremo

HOR-

HORTANDI; *eia, age, agite, agedum.*
OPTANDI; *utinam, O si.*
PROHIBENDI; *ne, nequaquam.*
ELIGENDI; *potius, imo, magis.*
EVENTVS; *forte, fortuito.*
CONGREGANDI; *simul, una, pariter, collectim summatim.*
EXCLVDENDI; *solum duntaxat saltem tantum.*
DVBITANDI; *An, utrum, forte, forsan, forsitan fortasse.*
VOCANDI; *heus, eho.*
CONCEDENDI; *esto, sane.*
INTENDENDI; *valde, nimium, prorsus, omnino, adeo, per, tam, quam.*
QVALITATIS; *docte, pulchre, fortiter, viriliter bene, male, carptim, raptim.*
QVANTITATIS, *parum, modice, multum, satis.*
SIMILITVDINIS; *quasi, ceu, sicut, sicuti, velut veluti, ut, æque, perinde.*
PERSONALIA; *mecum, tecum, secum, nobiscum vobiscum.*
REMITTENDi; *vix, paulatim, sensim, pedetentim*
SEPARANDI; *seorsim, separatim, segregatim.*
IVRANDI; *Hercle, Ecastor, medius fidius.*
RESPONDENDI; *heu, hem.*
COMPARANDI; *magis, minus, maxime pessime.*
PRECANDI; *sodes, amabo.*
INTERROGANDI; *cur, quare, quamobrem quapropter, nonne, anne, num utrum.*

DE COMPARATIONE.

Qvot sunt gradus Comparationis Adverbiorum?

Tres.

Positivus, *ut fortiter, integrè, sæpè.*
Comparativus, *ut fortius, integrius, sæpius.*
Superlativus, *ut fortißimè, integerrimè sæpissimè.*

Sunt & Defectiva, nuper, nuperrime: ocijus, ocißime: secus, secius.

FIGURÆ Adverbiorum tres sunt.
Simplex, *ut prudenter.*
Composita, *ut interdiu, diligenter.*
Decomposita, *ut imprudenter, indiligenter.*

DE CONIUNCTIONE.

Qvid est Coniunctio?

Est pars Orationis, qvæ vocibus aut Sententiis, alias annectit. *Vt.*

Nox & amor, vinumqve nihil moderabile svadent.

Qvot accidunt Coniunctioni?

Tria.

Potestas, Figura & Ordo.

POTESTAS nihil aliud est, qvam eius Significatio.

Qvot sunt Potestates seu Significationes?

Septem.

Copulativa, Disiunctiva, Adversativa, Cau

ſalis, Ratiocinativa, Ordinis, Approbativa.

Da Conjunctiones COPULATIVAS.

Et, qve, qvoq;, ac, atq;, etiam, ſimul, cum; tum.

Da DISJUNCTIVAS.

Ve, vel, aut, ſeu, ſive.

Da ADVERSATIVAS.

At, ſed, aſt, verum, vero, qvanqvam, qvamvis, etſi licet, tamen, ſaltem, imo.

Da CAUSALES.

Nam, namqve, enim, etenim, qvia, qvoniam ſiqvidem, enimvero, ut, ne.

Da RATIOCINATIVAS.

Ergo, ideo, igitur, qvapropter, idcirco, qvando, qvamobrem, proinde.

Da Conjunctiones ORDINIS.

Inſuper, poſtea, poſtqvam, deinde, deinceps.

Da APPROBATIVAS, ſeu Completivas.

Qvidem, eqvidem, ſcilicet, videlicet, *ut Diſcit & qvidem ſtrenuè.*

FIGURÆ duæ.

Simplex *ut nam.* Compoſita, *ut namqve.*

Qvotuplex eſt ORDO Conjunctionum?

Triplex:

Præpoſitivus, Poſtpoſitivus & Indifferens.

Qvæ ſunt Præpoſitivi Ordinis?

Qvæ in ſententiis primum ponuntur, ut nam qvare, qvapropter, ſed, aſt, nec, ſi, qvin, niſi, ideo, ſeu, *ut, Nam eſt vir bonus.*

Da Coniunctiones Postpositivi Ordinis.

Enim, autem, qvoqve, vero, qve, ne, ve, *ut Est enim vir bonus: Non autem recte dixeris, enim est vir bonus.*

Ex his Encliticæ sunt, qve, ne, ve: tonum enim suum inclinant & reiiciunt in finem dictionis, cui adhærent. ut
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.
Jndoctusqve pilæ, discive, trochive, qviescit.

Da Communes seu indifferentes.

Ergo, ideo, itaqve, qvoniam, tamen.

DE PRÆPOSITIONE.

Qvid est Præpositio?

Est pars Orationis, qvæ in constructione verbo nomen adiungit & aliqvam circumstantiam significat.

In compositione vero, vel complet, vel mutat, aut minuit significationem.

Qvot accidunt Præpositioni?

Unum, Casus tantum, scilicet Accusativus et Ablativus.

Qvot sunt Præpositiones Accusativi Casus?

Triginta una.

Ad, apud, ante, adversus, cis, citra, circum, circa, circiter, contra, erga, extra, in ter, in

ter, intra, iuxta, infra, ob, penes, per, pone, poſt, præter, prope, propter, ſecundum ſecus, ſupra, trans, ultra, verſ⁹ uſq;.

Qvot ſunt Præpoſitiones Ablativi Caſus?

Qvindecim.

A, ab, abs, absq;, cum, coram, clam, de, e, ex, pro, præ, palam, ſine, tenus.

Qvot ſunt Præpoſitionis utriusq; caſus?

Qvatuor.

In, ſub, ſuper, & ſubter.

Da Præpoſitiones inſeparabiles.

Di, dis, re, ſe, am, con. Di & dis ſæpius ſeparationem notant. Re rurſum, ſe, ſeorſim am vel an circum, con cum.

Nota.

Præpoſitiones cum amittunt caſum, fiunt Adverbia. ut.

Ponè ſubit conjux. *Coram, qvem qværitis adſum.*

DE INTERIECTIONE.

Qvid eſt Interiectio?

Eſt pars Orationis, mentis affectum voce incondita ſignificans.

Qvot accidunt Interiectioni?

Unum. SIGNIFICATIO.

Qvot

Quot sunt Significationes Interiectionum?

Sunt multæ.

Aliæ enim significant:
ADMIRATIONEM; ut papæ.
GAVDIVM; Io, euge.
DOLOREM; hei, heu, ah, ve, proh dolor.
METVM; at at.
INDIGNATIONEM; hem, proh, Juppiter.
EXCLAMATIONEM; vah.
RISVM; ha, ha, he.

Sunt et aliæ Interiectiones Significantes?

FASTIDIUM; ut ohe, phy, apagè,
IRRISIONEM; ut hui, vah, hem.
APPROBATIONEM; vel LAUDEM, ut Eia,
BLANDITIAS; ut eia so'es.
SILENTIUM: ut au, st, pax.
LACHRYMAS; ut hei, hoi, oh, ohe.

FINIS ETYMOLOGIÆ.



II. Pars Grammaticæ.

DE SYNTAXI

Quid est SYNTAXIS?

Est congrua vocum ordinatio, certam sententiam dilucidè repræsentans.

Qvotuplex est SYNTAXIS?

Duplex. Regularis & Figurata.

Regularis est, qvæ Grammaticæ regulas simpliciter imitatur, *ut Deus curat mortalia.*

Figurata est, qvæ à regulis concordantiæ ex parte discrepat, ut *nos poma natamus.*

Qvot accidunt constructioni regulari?

Duo. Concordantia & Regimen.

Concordantia est, qvando voces in eodem Genere, Numero, Casu vel Persona concordant.

Regimen est, cum vox aliqva cum Genitivo, Dativo, Accusativo vel Ablativo construitur, absqve Generis, Numeri, Personæ & Casus concordantia.

I. DE REGULIS CONCORDANTIÆ.

I. REGULA.

Adjectivum Nominale, Pronominale, Participiale

 & Substanti-

& Substantivum, eodem Genere, Numero & Casu cohærent. ut.

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Nam tua res agitur paries cum proximus ardet.
Nullus ad amissas ibit amicus opes.

APPENDIX I.

Qvando duo vel plura Adjectiva sine Substantivo concurrunt, alterum induit naturam Substantivi. *Vt fortunate senex. Amicus fidus. Rusticus ille senex. Nam hic senex, amicus, Rusticus, substantivè accipiuntur.*

II.

Adjectivum inter diversa Substantiva, vel ubicunqve positum, concordat cum suo Substantivo ad qvod propriè refertur, *ut verbum caro factum est. Aqva est facta vinum. Fœmina est imperio suum animal. Ignis est elementorum supremum (scilicet elementum) Leo est ferarum generosissima (scilicet fera.)*

(Aliqvando duobus substantivis aut adjectivis diversas res significantibus, respondet unum Nomen plurale in eodem genere et casu, Ut magna minorqve feræ. Plato et Socrates Athenienses.

Discordat ne Adjectivum & Substantivum?

Discordat duob9 modis: Regula & Schemate

Da *REGULAM.*

Adjectivum plurale neutrum, subjungitur Substantivis, rerum inanimatarum, ejusdem vel diversi generis. *ut virga tua & baculus tuus ipsa me* conso

solata sunt. Panis & vinum esurienti grata sunt

Adjectivum in Neutro genere sæpè fit Substantivum & plerumqve declaratur per nomen, res aut pars, *ut Triste lupus stabulis. Dulce satis humor. Omnium rerum mors est extremum. Fama malum. Turpe senilis amor* (id est res turpis.)

[DE FIGURIS, qvæ sunt exceptionis concordantiæ paulo post]

DE RELATIVIS.

I. REGULA.

Relativum & antecedens, genere & numero concordant, casu non semper, nam is seqventi verbo respondet. *ut Pater qui parcit virgæ, odit filium. Accepi literas tuas, qvæ mihi magnæ voluptati fuerunt. Felix, qvem faciunt aliena pericula cautum.* Antecedens sæpè omittitur *ut Juv: Sunt qvibus est sola vivendi causa voluptas. Sal. In prælio qvi maximè timet, maximum est periculum. Non habeo qvem seqvar. Misi qvi diceret*

II. REG.

Relativum inter duo Substantiva diversorum generum positum, poterit concordare cū utrolibet.

Cum Anteriore, Ovid:

Vnus erat toto, naturæ vultus in orbe.
Qvem dixêre Chaos.

Cum posteriore. Cic:

Animal plenum rationis & consilii, qvem vocamus hominem. Est locus in carcere, qvod Tullianum appellatur.

III. REGULA.

Interrogativum & responsivum, casu cohærent *ut Qvis me vult? nuncius. Cuius iussu? Patris. Qvid affert? pecuniam. Cui affert? tibi vel Petro Qvo fine vel qvo animo? Optimo. Cuias es? Cimber. Cuiatem te dicis? Cimbrum.*

Sunt autem Interrogativa, qvis, qvalis, qvantus, qvot, qvotus, qvotuplex, cuias, &c. *Ut qvot poma habes? Tria. Qvot libros? Duos.*

I. Exceptio.

Cum per verbum qværitur, verbo respondendum est, *ut. Qvid agitur? Luditur. Curasti quæ jusseram? Curavi.*

II. Exc:

Cum per Pronomen Possessivum respondetur aut qværitur, per nomen diversos casus exigens interrogativum & responsivum casu distant. *ut Cuius est liber? meus. Qvanti emptus est liber? duobus solidis.*

III. Exc:

Cognata est primæ Regulæ hæc.

APPOSITIO est duorum Substantivorum in eodem casu coniunctio, qvorum unum declarat alterum. ut Horat.

Et genus et formam Regina pecunia donat. Virgo Maria. Magister Jacobus. Deus pater.

DE REGIMINE OBLIQVORUM post Adiectiva.

I: Regula.

I. REGULA.

Adjectiva, quæ copiam, curam, crimen, desiderium, notitiam, & his contraria significant, Genitivos regunt. *ut Dives pecoris. Cupidus lucri Amans vini. Compos voti. Ignarus loci. Vive memor lethi. Præsaga mali mens. Pecuniæ parcus & tenax.*

II. REGULA.

Genitivos adsciscunt & verbalia pleraq; & Participia, cum in Nomina degenerant, *ut Tempus edax rerum. Pertinax recti. Patiens inediæ.*

III. REGULA.

Superlativi adsciscunt Genitivos plurales, vel collectivi nominis, singulares, *ut Virgilius est optimus poëtarum. Sic optimus plebis.*

Cicero de Amicit. Quem unum nostræ civitatis, & ingenio & industriâ, præstantissimum audeo dicere

IIII. REG.

Quæ partitionem significant aut collectionem Genitivos plurales adsciscunt, *ut Quidam vestrum (id est, inter vos.) Nemo hominum vivit suâ sorte contentus. Neuter horum interfuit iis negotiis. Hæc mulierum saltat. Agilior manuum est dextera.* Nota.

Comparativo utimur cum partitio fit inter duo, Superlativo, cum inter plura.

DE DATIVO.

Dativos adsciscunt, quæ commodum, facilitatem, similitudinem, affinitatem aliquam & contra, significant. *ut similis patri.*

Virg:
Os humerosq; Deo similis. *Par Homero.*
Facilis adferentibus. Gratus mihi. Commodus Urbi
Proximus egomet mihi. Huic molestus est.

DE ACCUSATIVO.

Adiectiva, Græca consvetudine, Accusativum postulant, per Synecdochen, (est autem Synecdoche, cum Nomen totius, ad partem tantum refertur) *ut Albus dentes est Æthiops. Flavus crines.* Latine in Ablativo dixit Martialis.
Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus.

DE ABLATIVO.

I. REG.

Ablativus instrumenti, causæ, materiæ vel formæ, subiicitur certis adiectivis, laudem vel vitiperium significantibus. *ut fessus cursu. Potens opibus. Confectus senio. contentus paucis. Æger pedibus, oculis &c.*

II. REG.

Dignus & indignus simpliciter Ablativum adsciscunt, *ut dignus laude. Indignus est istâ fortunâ.*

III. REGULA.

Comparativi adsciscunt Ablativos. *ut Hor: Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. Cyclope immanior. Est plagosior Orbilio. Gryllo stultior. Cic. Nihil illo adolescente castius, nihil diligentius.*

IIII. REG.

Opus

Opus (licet variam habeat constructionem) freqventius tamen Ablativo iungitur: Rarius Nominativo & Genitivo, *ut opus est mihi tuo consilio.* *Ovid.*

Non opus est verbis, credite rebus, ait.

DE REGIMINE GENITIVI
cum Substantivo.
I. REGULA.

Substantivum cum Substantivo Genitivo casu iungitur, *ut Fons vitæ. Verbum Dei. Mors ultima linea rerum.*

II. REG:

Adiectiva Neutra, substantivè posita, & Adverbia qvædam, regunt Genitivum. *ut Nihil pecuniæ. Multum spei. Qvid boni affers?*

III. REG.

Substantivum nomen sæpe exigit orationem adiectivalem Genitivi casu, aliqvid laudis vel vituperii significantem. *ut Vir magnæ authoritatis* *Cic. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi Joci. Adolescens bonæ indolis & optimæ spei.*

Sæpe etiam in Ablativo. *ut Homo antiqvâ virtute & fide.* *Virg:*

Sunt mihi bis septem, præstanti corpore Nymphæ

DE SYNTAXI VERBORUM
Regulæ Concordantiæ.
De Nominativo â fronte
I. REG.

Nominativus præcedit verbum finitum, simili numero

numero & persona, *ut Praeceptor docet. Discipuli discunt. Exitus acta probat. Fallitur augurio spes bona saepe suo. Ferrum tuetur principem, melius fides.*

Nota.

Omne nomen et omne pronomen est tertiae personae, praeter ego, quod est primae & tu, cum omni Vocativo, secundae.

II. REG.

Verbis primae & secundae personae utimur, dissimulatis Pronominibus, *ut, vivimus ut possumus. Nosce te ipsum. Cole Deum.*

III. REG.

In verbis exemptae actionis & per Ellypsin, Nominativus omittitur, *ut ningit, pluit. sic ajunt, dicunt, ferunt.*

IIII. REG.

Infinitivus, Graeco more, ponitur loco Nominativi. *ut Idem velle & nolle, ea demum est vera amicitia. Legere & non intelligere est negligere. Crede mihi, sapere, non est nimium sapere.*

V. REG.

Duo Singularia postulant verbum plurale. *ut furor iraq; mentem praecipitant. Fames & mora bilem in nasum conciunt.*

DE FIGURIS CONSTRUCTIONIS.

Quot sunt Figurae Constructionis?

Septem praecipuè (quae sequuntur)

(Exque omnes sunt, velut exceptiones ab his duabus Regulis, Adiectivum Nominale et Nominativus praecedit verbum

verbum finitum; Atqve adeo in plerisqve, aut aliqvid subintelligitur aut constructio ad intellectum refertur;]

Qvid est SYNTHESIS?

Est cum nomini multitudinis singulari subiicitur Adiectivum vel verbum Plurale aut substantivo Adiectivum diversi generis. *ut* Ovid. *pars volucres factæ.* *Virg.*
Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi. Ovid. *Turba ruunt.* *Terentius in Evnuchum suam.*

Qvæ est Ratio?

Synthesis haud vocem, sed cernit Significatum. [Aliqvando Synthesis et Evocatio concurrunt ut pars venimus]. Aliqvis aperite]

Qvid est ZEVGMA?

Est cum diversis Substantivis verbum vel Adiectivum additur, qvod cum propiore tantum consentit. Virg. *Caper tibi salvus & hædi.*
Neqve ego neqve tu scripsisti.

Qvid est SYLLEPSIS?

Est cum pluribus Substantivis, diversorum generum vel numerorum vel personarum vel casuum, subiicitur Adiectivum vel verbum plurale. qvod digniori respondet.

Estqve Qvadruplex.

Generum, Numerorum, Personarum & Casuum.

Syllepsis Generum, *ut Ovid.*

Mulciberis capti, Marsq; Venusq; dolis.
Servus & ancilla sunt ebrii.

Numerorum, *ut milites & imperator pugnant.*

Perſonarum, *ut ego & frater ſcribimus*.
Caſuum; *ut Romulus cum Remo condiderunt Romam.*

Nota.

Maſculinum genus dignius eſt fœminino. Pluralis numerus dignior ſingulari.

Prima perſona, præſtat ſecundæ, ſecunda tertiæ. Notandum etiam ſedulo eſt, id diſcriminis eſſe inter Synthesin, Zevgma & Syllepſin, qvod Synthesis reſpiciat intellectum, Zevgma propius, Syllepſis dignius.

Qvid eſt PROLEPSIS?

Eſt cum toti alicui, partes ſubiiciuntur diverſis Numeris aut Perſonis, *ut. Virg: Compulerantq́ greges Corydon et Thyrſis in unum Thyrſis oves, Corydon diſtentas lacte capellas, Ambo defeſſi ſumus, ego dictando ille excipiendo. Homines vivunt: hic bene, ille male. Terent. Curem' æqvam uterqve partem, tu alterum (filium) ego item alterum.*

Huc exempla implicitæ Prolepſeos, *ut Virg: Qviſqve ſuos patimur manes.*
Alter alterius onera portate.

Qvid eſt ANTIPTOSIS?

Eſt cum contra Analogiam antecedens imitatur caſum Relativi. *Virg. Vrbem qvam ſtatuo veſtra eſt. Ter. Evnuchum, qvem dediſti nobis, qvas turbas dedit.*

Qvid eſt EVOCATIO.

Eſt cum verbo primæ vel ſecundæ perſonæ, no-*men*

men tertiæ personæ præponitur, *ut nos poma, natamus. Non omnia possumus omnes.*

Qvid est ENALLAGE?

Est cum in narrando, Infinitivo, pro præterito Imperfecto Indicativi utimur. *ut Ter: Omnus me mordere clanculum, Ego floccipendere, (id est pendebam.) Sic Cicero ad Atticum: Ille ex me, nihil ne audivissem novi? Ego negare (id est negabam.)*

DE USU VOCATIVI.

I. REGULA.

Vocativi & secundæ personæ, & Imperativis præponuntur. *ut Si nihil attuleris, ibis Homre foras. Salve Pamphile. Petre collige literas. Christe serva nos.*

II. REG.

Vocativi etiam sine verbo inseruntur orationi. *Virg: O Melibæe Deus nobis hæc otia fecit.*

DE NOMINATIVO POST VERBUM.

I. REG.

Verba Substantiva præcedunt & seqvuntur Nominativi. *ut Deus est bonus, Ira furor brevis est Fortuna est instabilis.*

Qvæ sunt verba Substantiva?

Sum, forem, fio, & existo.

II. REG.

Nuncupandi verba, & qvæ similem vim habent

utrinqve Nominativum adſciſcunt. *ut Ego vocor Laurentius. Ariſteus inventor Olivæ dicitur. Themiſtocles cum recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior.*

III. REG.

Verbum finitum ſeqvitur aliqvando Nominativus, *ut Dormit ſecurus. Vive Deo gratus.*

DE GENITIVO CUM VERBO.

I. REGULA.

Verbis mercandi, vendendi, æſtimandi, adjiciuntur hi Genitivi, tanti, qvanti, pluris, minoris, parvi, flocci, nihili. *Ut Qvanti emiſti librum? non pluris qvam alii. Magni æſtimo. Parvi facio. Res nullius momenti.* Nota.

Cum accedunt Subſtantiva, Genitivi migrant in Ablativos, *ut Virg: Vendidit hic auro patriam. Qvanto precio emiſti? Duobus ſolidis. Mina valet decem Coronatis Gallicis.*

II. REG.

Accuſandi Verba & memoriæ & contraria, præter Accuſativos adſciſcunt Genitivos, *ut Ter: Hic furti ſe alligat (a ſtringit) Accuſo te mendacii. Memini huiꝰ rei, et hanc rem. Sic obliviſcor.*

III. REG.

Recipiunt & Genitivos vel Ablativos, qvæ copiam aut ê contra, qvæqve perturbationem animi ſignificant, *ut Horat. Eget æris Cappadocum Rex. Terent. Qvaſi tu indigeas patris. Virg: Implentur veteris Bacchi. Plaut: Erroris ego*

amboſ

ambos illos & dementiæ implebo. Discrucior animi. Cic: Exanimatus metu mali. Pendet animi Nil nostri miserere. Sic Terent: Suarum rerum sat agit (id est) anxius & sollicitus de rebus suis.

[Misereor, misereris, secundæ conjugationis, Genitivo tantum, apud probatos Auctores Junctum, reperitur: ut Neminis misereri certum est qvando nemo mei miseret. At miseror miseraris primæ Conjugationis qvod idem ac deploro significat, proprie Accusativum asciscit. Cæs: Abditi in tabernaculis suis cum familiaribus communi periculum miserebantur.]

DE DATIVO.

I. REG:

Verba omnia, in qvibus est qvædam concedendi vel adimendi Significatio, Dativum adsciscunt ut *Propino tibi. Timeo mihi.* *Juv:*
Dat veniam corvis, vexat censura columbas
Horat: Et mihi res, non me rebus submittere conor
Hic surripuit mihi calamum.

II. REG.

Multa Neutra & composita, cum his Præpositionibus, ad, ante, post, inter, ob, in, sub, præ, de, con & re, Dativum postulant. *Ut, Parco tibi & sumptui;* Sic obedio, servio, acqviesco, succurro, repugno, faveo, adhæreo, incumbo, consulo tibi, (*pro consilium do*) confido, benedico. *Sic patrocinor patriæ. Adularis mihi. Difficile est hominibus persvadere, honestum propter se eligendum.*

(Figuratè Dativus adjicitur verbis loco Accusativi, vel Ablativi Virg: id clamor cœlo (id est) ad cœlum. Solus tibi certet Amyntas (id est) tecum. Huc illa pertinent: Est esui. Sum solvendo, & etc.

III. REG.

Verbo EST (habendi significatione) utimur cum Dativo, *ut Virg: Est mihi namq; domi pater, est in justa noverca.*

Qvint: Sua brevitati gratia est. Ovid: An nescis longas Regibus esse manus?

IV. REG.

Sæpe verbis geminus Dativus additur, qvorum posterior Dativus rei, exponitur per Præpositionem ad vel in, *ut Non est tibi curæ. Datur tibi vitio. Tu id tibi laudi ducis (id est ad laudem.) Est mihi odio, lucro, exitio, sic usui, ornamento.*

DE ACCUSATIVO.

I. REG.

Activa verba omnia Accusativos adsciscunt. *ut Amo Deum. Summum nec metuas diem nec optes Honos alit artes. Præsentem fortunam boni consule. Virg:*

O passi graviora, dabit Deus his qvoq; finem.

Activa intellige qvæcunqve significationem activam habent, ut deponentia & Communia, ut Seqvor Dominum. Amplector virtutem.

II. REG.

Neutra qvædam Accusativos cognatæ Significationis asciscunt, *ut Aro terram. Oleo unguentum.*

tum. Dormit Epimenidis somnum. Curro viam.

III. REG.

Verba composita, nonnunqvam cum Accusativo vel Ablativo construuntur, vi Præpositionis, cum qva componuntur. *ut Prætereo villam Transiliit metam.* Cic. *Scopulos prætervecta est oratio mea. Adeo patrem. Sic abire magistratu. Emigrat domo.*

IV. REG.

Verba Transitiva, duos Accusativos adsciscunt, alterum Personæ, alterum rei, *ut Doceo te Grammaticam. Celo te culpam. Interrogavit me multa.*
Postulo, posco, peto, doceo, rogo, calceo, celo.
Exoro, admoneo, moneo, oro, interrogo, cingo
Induit & vestit, discalceo, flagito, duco.
Omnib⁹ his binos, poteris conjungere qvartos.
Ex qvibus quædam pro altero Accusativo interdum Ablativum recipiunt cum præpositione, ut Interrogo te hanc rem, vel de hac re Celo te has res, vel de his rebus. Precor te, vel abs te, veniam. Item, induo te vestem vel veste.

V. REG.

Mensurarum & Spatiorum casus, Accusativus est, vel etiam Ablativus. *ut Absum ab urbe, iter unius diei.* Virg.
Dic qvibus in terris (et eris mihi magnus Apollo) Tres pateat cæli spatium, non amplius, ulnas. Nec longis inter se passibus absunt. Ovid.
Jugeribusqve novem, summus qvi distat ab imo.

VI Reg

VI. REG.

Figuratè Accusativus adjicitur verbis passivis & absolutis. *ut Lucanus:*

Pluribus ille notis, variatam pingitur alvum.
Virg. Expleri mentem neqvit. Tremit artus.
Dolet caput. Rubet capillos (*Synedoche ut supra.*)

DE ABLATIVO CUM VERBO.
I. REG.

Omnia fere verba, ultra Accusativum etiam Ablativum instrumenti, causæ vel modi, postulant,

ut Ferit illum gladio.
Oderunt peccare boni virtutis amore.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Luxuriant animi, rebus plerumqve secundis,
Non facile est æqvâ commoda mente pati.

Cic: *Qvod exemplo fit id etiam Iure fieri putant. Afficior voluptate. Capite damnatos morte mulctavit.*

(Aliqvando Præpositio additur in qvibusdam, ut laborare ex pedibus; Rem cum summa molestia peregit)

II. REG.

Passivorum proprius Casus est Ablativus cum Præpositione A vel Ab, *ut, Virgilius â me legitur. Laudatur ab his culpatur ab illis.*

Hic Ablativus faciè in Nominativum mutatur *ut hi laudant eum. Ego lego Virgilium.*

Nonnunqvam vero Dativus pro Ablativo ponitur, *ut videor tibi indoctus* (*id est*) *â te. Virg. Tros Tyriusqve mihi, nullo discrimine agetur.* (*id est*) *â me. Nec cernitur ulli* (*id est ab ullo*) III. Reg.

III. REG.

Verba repellendi, abstinendi, petendi Ablativum adsciscunt, alias cum Præpositione, alias sine Præpositione. *Virg:*

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.

Abstineo à vino.

Instabiles animos ludo prohibebis inani.

Cic. Hoc aditu laudis me prohibuerunt meæ vitæ rationes.

[Abstineo qvandoqve cum Accusativo ponitur, ut abstineo manus ab alienis.]

IV REG.

Hæc Deponentia: utor, fruor, fungor, vescor, potior, dignor, nitor, vivo, victito, gaudeo. Ablativum adsciscunt. *ut utor vino. Fruor studiis meis. Fungor officio. Potior imperio. Vel potitur regni: Sic careo, egeo, indigeo pecuniâ*

Claud: —— *Virtute decet, non sangvine niti*

Luc: —— *Gaudet patientia duris.*

Appendix.

Præpositio omissa, vel per compositionem addita, facit interdum, ut verbis Ablativus rectè addatur. *Ovid: Medio tutissimus ibis. (id est, in medio) Ejicit eum sedibus suis. Pedem portâ non extulit (pro extra portam.) Qvantâ spe decidi. Magnis tamen excidit ausis.*

V. REG.

Temporis nomina efferuntur freqventius in Accusativo, cum durationem seu tempus continuum signi-

um significant, *ut Virg: Vna cum gente tot annos. Cic. Sum totos dies cum eo, noctis; sæpenumero partem. Item, Expectabam jam qvartum diem Pontinum.*

Huius interrogatio est qvamdiu, *ut Qvamdiu vigilasti? Totam noctem.*

Cum interrogatio fit per qvando, ponitur tempus in Ablativo *ut Qvando venisti? superioribus diebus. Multâ nocte. Cic: De Archimede, Qvi multis annis post fuit.*

Accedunt & Præpositiones, *ut De die epulari. Horat:*

Vt jugulent homines, surgunt de nocte latrones. Annos ad qvinqvaginta natus. In diem vivere.

DE NOMINIBUS LOCORUM.

I. REG.

Urbium propria, primæ & secundæ Declinationis, IN LOCO esse significantia, Genitivo casu singulari ponuntur. Tertiæ vero Declinationis in Dativo & Ablativo, & pluralis numeri tantum in Ablativo. *ut Tarenti degit Architas, qui ligneam columbam volatilem fecit. Fui Romæ. Sum Carthagine, vel Carthagini. Annum egi Neapoli. Delphis Apollo reddebat oracula*

Virg: ——— *Tacitis regnavit Amyclis.*

Hierosolymis filius Dei flagellatus est.

II REG

AD LOCUM significantia, in omni Declinatione

natione Accusativum postulant, *ut Proficiscor Romam. Corfero me Vittebergam. Carthaginem rediit regulus. Veni Havniam.*

III. REG.

DE LOCO & PER LOCUM significantia, Ablativum postulant, *ut Carthagine rediit Scipio. Româ profectus est cum exercitu.*

Adduntur nonnunqvam Præpositiones. *ut Venit ad Messanam* Propert.

Magnum iter ad doctas, proficisci cogor Athenas.

IV. REG.

Propria civitatum imitantur hæc appellativa: Domus, rus, humus, militia, bellum. *Vt Sum domi. Eo domum. Venio domo.* Cic: *Malo esse cum timore domi meæ, qvam cum periculo domi alienæ.* Ovid:

Qvo ruitis? vestras qvisqve redite domos.

Ruri educatus est. Eo rus. Ter: *Video rure redeuntem senem. Jacet humi. Tollitur humo.* Ter. *Vna semper militiæ & domi fuimus.*

V REG.

Nominibus regionum, Præpositiones, sicut & appellativis adduntur. *ut Vado in Graciam. Fui in Sicilia. Venio in urbem. Sum in urbe.*

DE INFINITIVIS.

I. REG.

Infinitivi adduntur verbis, qvalemcunqve voluntatem, sensum aut facultatem significantibus.

Ut Cupio te videre (alloqui) Salvum te advenire gaudeo. Cic: Maximè debemus æstimare conscientiam. Plaut: Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, reddere nescit. Quid tristem te incedere video? Nec tecum possum vivere, nec sine te.

II. REG.

Infinitivi adduntur Nominibus facultatem significantibus, loco Gerundii, (estque Græcismus) *ut. Cantare periti sunt. Respondere parati. Nunc est tempus dicere quæ senties. Cic: ut ne spes quidem aliquando melius fore relinquatur. Horat: Audax omnia perpeti:*

III REG.

Accusativus est proprius casus infinitivorum præcedens eos. *ut Ennius.*
Ajo te Æacida Romanos vincere posse.
Epicurei negant Deum curare mortalia.

IV. REG.

Casus seqvens infinitivum ESSE, cum proximo casu præcedente, concordat. *ut Ter:*
Cave te tristem esse sentiat. Rusticus cupit esse nobilis. Mihi licet esse pio. Illi convenit esse probo. Lætor te evasisse doctum, si vis evadere doctus. Licuit esse otioso Themistocli,

DE GERUNDIIS.

I. REG.

Gerundia regunt casum verborum suorum. *ut*

Effector

Efferor studio videndi patres nostros Hos accusando, illos occidendo, civitatem labefecisti.

II. REG.

Gerundia Genitivi casus in DI, seqvuntur nomina, facultatem & voluntatem significantia. *ut Gratia discendi Havniam missus sum. Cupiditas discendi est optima ratio vivendi. Amor habendi. Sic cupidus vivendi. Inspetus navigandi mare timet. Hic non est locus disceptandi neqve ludendi.* *Horat:*

——— *Pictoribus atqve poëtis.*
Qvidlibet audendi semper fuit æqva potestas.

III. REG.

Gerundia Accusativi casus in DUM, annectuntur verbis cum præpositione. *ut Mitto illum ad speculandum arcem.* *Virg:*

——— *Inter agendum.*
Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

IV. REG.

Participialia verba in DUM, impersonalium modo ponuntur sæpè absolutè, nonnunqvam cum casu verborum suorum. *ut, Dicendum, faciendum est. Recordandum est beneficii.* Sed sæpe usu veniunt cum Dativo qvi fit Nominativus. *ut Vigilandum est nobis. Sperandum est vivis.* Minus usitatè cum Accusativo. *Virg: Pacem Troiano à rege petendum. Cic: Iterandum eadem ista mihi.* Prohis utuntur Participiis; *ut Pax petenda est. Ista ite*

 randa.

randa sunt. Cic. Etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallem, quam in externis & alienis locis.

V. REG.

Gerundia in DO seqvuntur verba, vel cum Præpositione, vel sine Præpositione. *ut Omnia conando docilis solertia vincit. Cic: Ferendo iniurias, maiorem laudem, quam ulciscendo, meremur. Fab. Ratio rectè scribendi, cum loqvendo iuncta est. Tu qvid cogites de transeundo in Epirum, scire velim. Non sum solvendo (pro non possum solvere) alio pertinet.*

Gerundia sæpe mutantur in Participia. *ut Venio causa salutandorum amicorum. Cic: Nunqvam mihi tui colendi voluntas defuit. Idem, Belli renovandi consilium capere.*

DE SUPINIS.

I. REG.

Priora Supina activè significant, & casum verbi sui adsciscunt, cumqve verbis significantibus motum AD LOCUM iunguntur. *ut, Venio salutatum amicos. Vado cubitum. Do venum (id est vendo.) Horat: Spectatum admissi, risum teneatis amici. Ter. Datur ne illa Pamphilo nuptum?*

II. REG.

Posteriora Supina passivè significant, & construuntur cum verbis motum DE LOCO significantibus, vel cum Adiectivis facultatem signifi-

significantibus. ut Redeo obsonatu. Primus cubitu resurgat, postremus cubitum eat. Difficile intellectu. Turpe dictu. Notatu dignum.

DE REGIMINE IMPERSONALIUM.

I. REG.

Est, Interest & Refert, Genitivum postulant & seqvuntur fere Infinitivi. ut, *Boni pastoris est tondere pecus non deglubere. Non est sapientis dicere non putaram.* Cic: *Theodori qvidem nihil interest, humine an sublime putrescat. Interest reipublicæ, ne qvis rebus suis abutatur.*

Appendix.

Verba Interest, Refert, adiciscunt etiam hos Genitivos; Tanti, qvanti, magni, parvi, plurimi, minimi. *ut Refert omnium animadverti in malos; Parvi refert, id abs te prætermissum esse.*

Et ultra hos etiam Accusatives cum Præpositione. *ut Magni interest ad decus & laudem huius civitatis ita fieri.*

Verbum Refert, qvandoqve absolute sine casu ponitur, *ut Nec numeros comprendere refert. Virg*

Exceptio.

Pronomina possessiva cum verbis interest et refert, Ablativo casu, Genere fœminino, iunguntur. *ut Meâ interest. Tuâ quod nihil refert percontari desinas.* Cic: *Qvorum res agitur magni suâ interesse arbitrantur,*

Negat suâ magni (vel multum) interesse.

Verbo

Verbo EST, adjicitur meum, tuum, ſuum, *ut Meum eſt injuriam non adferre; tuum eſt illatam (muſſitare*

II. REG.

Hæc impersonalia: Accidit, contingit, convenit, competit, conducit, confert, conſtat, diſplicet, evenit, expedit, libet, licet, liqvet, nocet, obeſt, placet, patet, prodeſt, reſtat, ſufficit, vacat, Dativum poſtulant, & ſeqvuntur fere infinitivi *Vt. Non cuivis homini contingit adire Corinthum Ægro convenit abſtinere a ventis.*

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

III. REG.

Juvat, decet, dedecet, delectat, oportet, Accuſativum poſtulant & ſeqvuntur infinitivi. Cic: *Te animo hilari eſſe valdè me juvat* Sal: *Omnes homines ſummâ ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant veluti pecora. Oportet mendacem eſſe memorem. Principem oportet eſſe clementem.*

Adduntur verba: latet, fugit, præterit, *ut Me fugit. Latet me.*

IV. REG.

Hæc impersonalia: pœnitet, piget, pudet, miſeret tædet, Accuſativum poſtulant, cum Genitivo. *ut pænitet me peccati. Suæ qvemqve fortunæ pœnitet. Me miſeret humanæ conditionis. Vos pudeat inſcitiæ Tædet me vitæ.* Cic: *ut me non ſolum pigeat ſtultitiæ meæ, ſed etiam pudeat.*

DE PA-

DE PARTICIPIIS.

[Elegans est usus Participiorum, cui se assvefaciant pueri diligenter, ut concinnius dicitur: fuxor fit lasa sæpius patientia, qvam si pluribus efficiatur.]

I. REG.

Participia imitantur verborum suorum constructionem: *ut Amans Deum, Oblivisccns beneficiorum, ingratus meritò nuncupatur. Diligendus ab omnibus.*

Participia degenerant in nomina, cum verborum casus amittunt: *ut Amans pecuniæ.*

II. REG.

Duo Ablativi coniunguntur, designantes consequentiam, alter Participii, alter Nominis: *ut Docente præceptore, fac diligenter advertas. Volente Deo, hoc faciam.*

Nota, qvod Nominativus diversæ omnino rei sit, qvam cuius est Ablativus: *ut His dictis abiit. Non autem rectè, Hæc illo dicente abiit.* Ovid:

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.

Exponuntur per Dum, Cum, Postqvam, Si & Ut. Dicimus qvoqve ad hunc modum, cissi mutato Participio, *Imperatore Carolo, Galli magnâ pugnâ victi sunt. Deo duce redibo. Scipione consule, Pœni devicti sunt.*

III. REG.

Participia usurpantur pro Infinitivis: *ut Opus est facto (pro facere seu fieri) Opus est maturato. In arcem transcurso opus est.* Sal:

Priusquam incipias, consulto; ubi consulueris, maturè opus est facto.

Huc & illæ formulæ: *Rogatum te volo. Dabo tibi hoc effectum.*

DE ADVERBIIS.

I. REG.

Adverbia subiiciuntur Verbis, Participiis, Nominibus, item aliis Adverbiis, ad explicandas circumstantias locorum, temporum & similes: *ut Festina lentè. Bis dat, qui cito dat. Sæpe etiam est holitor valde oportuna locutus Ingenuè fateor. Prande liberalius. Cœna parcius.*

Qui non est hodiè, cras minus aptus erit.

Ad Scipionem admodum adolescentem, summa imperii delata est. Sat cito si sat bene.

II. REG.

Nomina degenerant in Adverbia, apud latinos in numero singulari. *ut Horrendum clamat. Sole recens orto. sublime volans.*

Apud Græcos in plurali. Virg: *Nec fera sonantem Narcissum.* Cic: *Multa Deos venerati.*

III. REG.

Adverbiis subiiciuntur casus Nominum: *ut, Obviam illi processimus. Cic: Convenienter naturæ vivere, rationi & sententiæ dicere. Propinquius tibi habitant. Item, Melius illo cecinit. Expeditius cæteris loquitur. Pulcherrimè omnium fecit.* Cic: *Maximè omnium nobilium, Græcis literis studuit.*

IV. REG.

IV. REG.

Adverbia copiæ, penuriæ, qvantitatis, temporis & loci, Genitivum postulant. *ut Parum pecuniæ. Cic: Sed iam pridem, potentiæ gloriæq́, abunde adeptum. Sic, Partim horum.* Huc & Atticismi illi: *Eo insolentiæ processit. Huc dementiæ. Eo discordiæ (id est, ad id discordiæ.)*

Nusqvam gentium. Vbicunqve terrarum. Interea loci. Pridie eius diei. Tunc temporis. Pridie Nonas Postridie Idus. Ellypsis est Ante, *ut Pridie ante Nonas.*

V. REG.

Demonstrandi Adverbia, petunt Nominativum vel Accusativum. *ut En lupus in fabula. Ecce virum doctum & benevolum.*

O Nominativum, Accusativum & Vocativum postulat, *ut Ter: O vir fortis & amicus. O ingentem confidentiam. Virg:*

O formose puer, nimium ne crede colori.

DE CONIUNCTIONE.

I. REG.

Coniunctio aut similes casus consungit aut similes modos, aut orationem novam superiori attexit: *ut Virgilius et Cicero sunt principes latinæ lingvæ*

Horat: Pulvis & umbra sumus.

Multa tulit, fecitqve puer, sudavit & alsit.

Nescia mens hominum, fati sortisqve futuræ.
Et servare modum, rebus sublata secundis.

ETSI, TAMETSI, QVANQVAM, in principio statim sententiæ, Indicativum postulant: ut Etsi suus cuiqve modus est, tamen magis offendit nimium qvam parum. Qvanqvam abest a culpa, suspicio me tamen non caret.

Sed in medio et in fine periodi, etiam Subiunctivo gaudent, licet freqventius Indicativo; ut Ubi semel qvis peieraverit, ei credi postea, etsi per plures Deos iuret, non oportet.

QVAMVIS, LICET, VT (pro qvamvis) Coniunctivum adsciscunt: ut Cic: Qvamvis non fueris svasor profectionis meæ, approbator certe fuisti.
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

SI, SIN, SIQVIDEM, NI, NISI, modo Indicativum, modo Coniunctivum postulant, prout sententia finita, seu certa vel infinita, seu potentialis significetur: ut Teren: Si id facis, hodie postremum me vides. Ni noscem, causam crederem vera hunc loqvi.

N. 1. SIN ponitur, ubi SI, præcesserit: ut Cic: Si mihi veniam qvam peto dederit, utar illius conditione: sin minus, impetrabo aliqvid a me ipso.

2. *NISI, Corrigendi particula, semper Indicativo iungitur:* ut Cic: Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit.

QVIA

QVIA, QVANDO, QVONIAM, QVANDOQVIDEM & QVATENVS, fere Indicativum exigunt (præsertim sub initium sententiæ) ut
Ter: Qvia paululum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt. Idem
Qvoniam nemini obtrudi potest, itur ad me. Qvando ego non curo tuum, ne cura meum.

II. REG.

UT Coniunctio causalis, & qvæ similem vim habent: Verbi gratia: NE, QVO, QVIN, Coniunctivum adsciscunt.

Nota.

Si Præsens (vel Futurum) præcedat, Præsens Coniunctivi seqvi solet.

Sin Præteritum præcesserit, erit Coniunctivi Præteritum Imperfectum, *ut Iubeo ut facias. iussi ut faceres. ut ameris, amabilis esto.*

Tolluntur in altum.

Vt lapsu graviore ruant.

Nulla res tam facilis est, qvin difficilis fiet si invitus facias. Tantum cepi dolorem, ut consolatione ipse egerem.

(Diligenter pueri notabunt discrimen inter UT et QVOD) QVOD plerumqve de causa efficiente sive impellente atqve de re gesta dicitur et tunc exponi solet Qvia, ut Qvod convaluisti gaudeo.

Sed particula UT, de causa finali et re futura, potissimum utuntur authores, ut Cic: Hoc maius est qviddam, qvam ut ab iis postulandum sit.

Observatio 1.

UT & NE, post hæc Verba: timeo, metuo, vereor, significationem commutant: *ut, Metuo ut veniat. Metuo ne veniat.*
Timeo ne hoc tandem palam fiat. Timeo ut sustineas. *NE, NON*, post hæc verba, negandi vim habent. *ut Timeo, ne non impetrem. Vereor ne sim molestus & ne non sim gratus.*

Observatio 2.

Nonnunqvam per Ell, psin omittitur coniunctio, *ut Velim cogites. Sine videam. Cave dixeris. Necesse est multos timeat, qvem multi timent.*

DE PRÆPOSITIONE.

I. REG.

Præpositiones cum suis Casibus construuntur ut Virg: Ad Generum Cereris, sine cæde & sangvine pauci
Descendunt Reges & siccâ morte Tyranni.
ANASTROPHE dicitur, cum Præpositio suo casui postponitur: *ut Te sine nil altum mens inchoat Magna ex parte. Me penes est. Qui cum. Qro de.*

II. REG.

IN, SVB, SVPER, & SVBter cum motum ad rem significant, Accusativo serviunt: sed Ablativo cum in re versari: *ut In freta dum fluvii currunt. Stans celsa in puppi.* ——— *Cic:*
Sub oculos cadere. Sub Dio iacere. Sub arborem collocare. Super

Super arbore sedere. In templum ire. In templo esse.

III. REG.

Præpositiones cum amittunt casum fiunt Adverbia, *ut clam abiit. Coram data copia fandi:* (Huc si placet) *Longo post tempore.* *Cic: Non ita multis ante annis.*

DE INTERIECTIONE.

HEI & VÆ Dativum adsciscunt. *ut Virg. Hei mihi qvalis erat.* ——

Væ terræ, cuius Rex puer est.

HEM & HEU, Dativum, Accusativum & Vocativum regunt, *ut Ter. Hem tibi. Hem astutias hominum. Hem Pamphile. Plaut. Heu misero mihi. Heu me miserum. Heu pietas. Heu prisca fides.*

PRO vel PROH, AH, vel VAH, regunt Accusativum et Vocativum: *ut Proh Deûm atq; hominum fidem. Proh sancte Iupiter. Ah miserum.* HEUS & OHE Vocativum regunt: *ut, Terent. Heus Syre. Mart.*

Ohe iam satis est, Ohe libelle.

GRAMMATICÆ FINIS.




INSIGNIA
ISLANDIÆ.

